



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Rodolphi Gwaltheri Tigvrini Antichristvs. Id Est, Homili[a]e  
quinq[ue], quibus Romanum Pontifice[m] uerum, &  
magnum illum Antichristum esse probatur, quem  
prophetaru[m], Christi & apostolorum oracula ...**

**Gwalther, Rudolf**

**[Zürich], [1546]**

**VD16 W 1065**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-35409**






Th. 1473.











# RODOLPHI

GVALTHERI TIGVRI  
NI ANTICHRISTVS.

ID EST, Homilię quintę, quibus  
Romanum Pontificē uerum, & ma-  
gnum illum Antichristum esse proba-  
tur, quem prophetarū, Christi & apo-  
stolorum oracula uēturum & cauē-  
dum prædixerunt.



IESVS.

*Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.*

*Ioan. 1.*



RODOLPH

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...



# DILECTIS FRATRI-

BVS, EVANGELIVM CHRI

sti in agro Tigurino prædicatibus, RODOL

PHVS GVALTHERVS Gratiam et

pacē ab eo, qui solus Pax, iustitia, sapien

tia, redēptio, & sanctificatio nobis

à patre suo cœlesti factus est.



LECTVM illud Dei organum et gentiū do  
ctor, Paulus Apostolus, Ephesiorū presbyteris  
extremū Vale dicturus, cū multa fideliter mon  
nuisset, inter alia tamen & hoc addendum esse  
putavit: Attēdite uobis et cuncto gregi, in quo uos spiritus san  
ctus posuit episcopos, ad regendū ecclesiā Dei, quam acquisiuit  
sanguine suo. Ego enim noui hoc, quod ingressuri sint post di  
scessum meū lupi graues in uos, non parcētes gregi. Quæ cum  
ijs dicta sint, fratres & Simmystæ colēdis, quibus illud ipsum  
tunc temporis in ecclesia Christi munus cōmissum erat, quod  
nobis hodie legitima uocatione cōmissum est, nobis quoq; dicta  
putabimus: & nobis maxime, in quos nouissima tēpora deuen  
runt, quæ ob immanes lupos, pseudochristos et pseudopphetas  
periculosissima fore, & prophetarū, & Christi et apostolorum  
oraculis prædictū est. Diligēter ergo hæc meditemur oportet,  
ut nimirū quale nobis officiū mādarit Dominus, & qua in hoc  
cura, studio & industria nobis opus sit, cognoscamus. Si enim  
studiose ijs inuigilare consueuerunt homines mundo & priua  
tis uolup atib. dediti, quorum cura ipsis à terrenis principibus  
cōmissa est: maiori utiq; studio nos illi officio incumbere dece  
bit, quod summus ille Rex regum & Dominus dominantium,  
IESVS CHRITVS, nostris humeris imposuit, &



## Præfatio.

iusque ratione olim quoque à nobis requisiturus est, quando in gloria sua cum omnibus angelis suis ad iudicandum ueniet.

Atqui episcopos nos constitutos esse dicit Paulus Apostolus: non quidem imperium quoddam & regnum (quod ferè huius tituli autoritate nostri sæculi episcopos sibi uendicare uideamus) nobis promittens, sed officij nostri nos admones. Cum enim episcopi Græca uox Latinis Speculatore significet, Paulusque nos episcopos, id est, Speculatores constitutos esse dicat, nimirum ad illud Domini alludit, qui Ezechielem olim super datum Israelis speculatore constituens, diligentissime admonet, ut uenientem ob peccata & scelera gladium prædicat, & prædicationi fideli miseros ab interitu asserat. Et sane superbum huius nominis abusum Paulus mihi præuidisse uidetur, cū ait: Attendite uobis & cuncto gregi. Vt enim ministri curæ dominicum gregem, id est ecclesiam commendat: ita eundem sibi quoque cauere iubet & attendere, ne dum priuatis honoribus & uoluptatibus studens suæ curæ commissos negligit, sibi quoque struat exitium: tantum non illud Domini intonans quod Ezechieli dicitur: Nisi locutus fueris diserte, dehortando impium à uia sua impia, ut uiuat, ille quidem impius morietur in iniquitate sua, sanguinem uero eius de manu tua requiram. Et cuncto quidem gregi attendere iubet apostolus, nullum hic personarum respectum admittens, quo uel tenuem & pauperem negligere, uel fastuoso & excellenti parcere uelimus. Regere uero (uel ποιμαίνειν potius, id est, pascere) iubet, non Christi uerbis contradicens, qui discipulos suos terrenorum principum instar regnare uetuit: sed uerbi ministerium fidele commendans, quod salutis uiam & regulam infallibilem præscribit, simulque in læta animarum pascua deducit homines, in quibus eum cibum inueniunt, qui solus ad æternam uitam ita pascit ac saturat, ut nul-

lam



## Præfatio.

am post hunc uel famem uel sitim sentire possint. Et ne contemndū putaremus ob aliquas causas commissum nobis officium, quantus sit ille grex, quem regere & pascere debeamus, docet: quem uidelicet proprio sanguine ab interitu liberare dignatus sit Dei filius. Quæ una ratio tantæ authoritatis est, fratres, ut sola omnem soporem & ignauiam animis excutere possit. Quis enim nescit inter homines in deposito seruando summam requiri fidem et diligentiam? At quanto maior in diuinis ea esse debet, & maxime in eo grege seruando, quem suo redemptum sanguine penes nos deposuit Dominus? Nec est ut munus nostrum, ob summi illius & uere boni pastoris præsentiam & patrocinium, periculo carere dicamus, et proinde minus etiam sumus seduli & industrij. Grauiam enim et horreda pericula prædicit Paulus. Ego enim noui hoc (inquit) quod ingressuri sint post discessum meum lupi graues, non parcetes gregi. Lupos uenturos dicit, & hos graues quidem, qui tanto gregi, tam pretioso, tam nobili parcere nesciant. Et alibi pluribus uerbis hos depingens: Spiritus (ait) certo loquitur quod in posterioribus temporibus desicient quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis demoniorum. Impostores ergo oriturunt, & tales quidem, qui non hominum modo commentis, sed & demoniorum non tam mendacibus quam pernitiosis doctriinis gregem hunc turbent & dissipent. Idem Christus quoque non obscure testatus est, qui quemadmodum discipulos tanquam oues emittit in medium luporum: ita pseudochristos & pseudoprophetas surrecturos dicit in multorum perniciem, qui ueritatis doctrinam peruertere & corrumpere studeant: quin arma quoque horum consilijs suscitanda monet, quibus corpora fidelium peti & perdi possint. Indicatur alibi etiam omnium horum caput & princeps magnus nimirum ille ANTI



## Præfatio.

CHRISTVS, qui & mendaciorum figmentis & aperta av-  
morum tyrannide in pusillū hunc Christi gregem sit grassatu-  
rus. Quæ omnia, si cū ijs, quæ nostro sæculo euenēre & quoti-  
die eueniunt, conferamus, & Christum ueracem & Paulū ex  
ueritatis spiritu locutum fuisse fatebimur: quin etiam consta-  
bit, qui nam illi pseudochristi & pseudopropheta, quis itē ma-  
gnus ille Antichristus sit, quem grex noster cauere debeat.

Porro, ut nostri officij memores, tam nobis ipsis attēdere, q̄  
curæ nostro cōmisso gregi prospicere, & quantum nostræ fert  
naturæ infirmitas, cōsulere possimus, pericula probe cognosca-  
mus oportet, quæ ecclesiā maxime turbare, & illi ut plurimum  
nocere consueuerunt. Quæ licet innumera & infinita quotidie  
ab eo excitentur, qui ut Leo rugiēs in nostrā perniciē obambu-  
lat, ita in dolis & insidijs struendis astutissimus est: duo tamen  
nobis ante omnia consyderari debēt, Falsa doctrina nimirū, &  
Crucis uel persecutionis offendiculum, quæ nostræ infirmitati  
cūprimis insidiatur. Nouit enim naturæ nostræ ingeniū Sathā,  
quod in diuinis & cælestibus percipiēdis admodū hebes & ob-  
tusum facillime potest decipi, in alijs uero (& Religione cum  
primis) ex successibus & euētū omnia aestimans, Cruce & ad-  
uersis offenditur. Vnde eo Stratagemate contra ecclesiā sem-  
per usum esse uidemus, ut uel falso cōceptis opiniōibus simpli-  
ces dementarit, uel rixis & disputationū contentionibus turba-  
uerit, uel cruce & tyrannorū armis crudeliter immisissis terrue-  
rit. Exēpla si quis requirat, ita sunt obuia, ut diligētī inquisitio  
ne nō sit opus. Huc enim faciunt Nazareorū legē Christo mis-  
sentium & illius meritū euacuantū somnia, & uix dū his rea-  
pressis per Nerone, monstrū naturæ, immissa persecutio. Huc  
Cerinthus facit, & mox hūc insequens Domitianus, pdigiosum  
libidinis, superbæ & crudelitatis mancipiū. His Arium cōnu-  
merabimus,



## Præfatio.

merabimus, & qui huius dementiã exceperūt tyrānos. Vt autē  
quò propius mundi consummatio nobis accedit, eò quoq; perni-  
tiosiora magisq; periculosa sunt omnia: sic nostro sæculo ma-  
gnū illum Antichristum, Romanum Pontificem, omnem  
præcessorum suorum tyrannidem multum superare, & utroq;  
gladio ita furere uidemus, ut quo nam plus noceat ecclesiæ,  
non satis animaduertere possis. Doctrinam enim inuexit cum  
ueritatis doctrina ex diametro pugnantem, quæ à Deo abstra-  
ctos creaturis mancipat, salutem in propriæ iustitiæ meritis  
querere & proprijs uiribus confidere docet. Religionem quo-  
que eam finxit, quæ & Leuitica illa & omni gentilium super-  
stitione operosior, imò ex utraque conflata, à spiritu & ueri-  
tate est alienissima. Et huius quidem prætextu eò potentiæ &  
tyrannidis subuectus est, ut renitentes cogere, occlamantes  
reprimere, resistentes & credere nescios perdere & trucidare  
possit. Grassatur ergo hodie in ecclesia mendaciorū spiritus,  
simulq; furit immanis ille Pontificiæ tyrānidis gladius, et nūc  
quidem non in priuatos modo, ut diu antehac, sed in potentiissi-  
mos principes, celeberrimas urbes, totos deniq; populos stri-  
ctus omnia sanguine fuso irrigat. Iã enim urbes capi et dirui,  
agros uastari, matronas & uirgines nepharia libidine pollui,  
infantes quoq; uel occidi uel (quod horribilius est) membris  
mutilari, iuuentutis florem ad horrendum Sodomæ flagi-  
tium abripi, & totam interim Germaniam ubiq; locorum di-  
ras flāmas cōcipere uidemus. Et licet aperta tyrānide electū  
illud Sathanae organū Antichristus, furiat, mēdacia tamē illi  
coniungēs nefarios conatus et horū causas tegere, falso simula-  
tis causis simpliciores & imperitos sollicitare, multis itē euāge-  
licæ ueritatis ueræq; religionis odiū fraudulēter inspirare stu-  
det. Exproscamur ergo, o fratres, & in specula cōstituti gladiū



## Præfatio.

non iam uenientem, sed præsentem, sed grassantem et intra gre-  
gis uiscera sæuientem arguamus. Tentatur enim hic multorum  
fides. Sunt, qui dum mendaciorum fucos minus perspiciunt, salu-  
luntur facile. Sunt, qui inter ueritatis doctrinam & superstiti-  
tionis figmenta minus discernentes, falsa pro ueris arripiunt.  
Sunt, quos Romana, id est, Antichristiana excōmunicationis  
fulmen adhuc perterret. Sunt item, quos crux & persecucionis  
æstus ita offendit, ut illos in petricosam terrā euangelij semen  
excepisse, nemo posthac dubitare possit. Hic ergo cura nostra  
requiritur, ô fratres. Hic speculatores nos fidos præbeamus  
oportet: sic ut admoniti per nos hoies, falsæ doctrinæ figmen-  
ta agnoscere, superstitionis fucos cauere, mendaciorū insidias  
& laqueos uitare possint, & cruce etiam nullo modo offendan-  
tur. In primis uero tanti mali author nobis petendus erit, Ro-  
manus Pontifex, quem uerū illū & magnum Antichristū esse  
prophetarū & apostolorū cum historijs consensus diserte cla-  
mitat. Hunc ergo arguere, & ecclesijs spectandum proponere  
oportet, ne quis illius falso & temere assumpta persona obstu-  
pescat, aut inani uerborum bombo crepante potētia terreatur.  
Et sanè contra superstitionis fucum & dogmatum mendacia  
remedium magis præsens est nullum, quàm ueritatis cognitio.  
Vbi enim huius lux fulserit, mendaciorū tenebris frustra pu-  
gnat Satan. Neq; hic molliculorū quorundam clamores au-  
diendi sunt, qui dum suæ cuti & pelli metuunt, tantum tamq;  
potentem hostem argui & indicijs istiusmodi irritari nolunt.  
Nōne (inquiunt) satis alioqui turbarum? nōne satis dissidio-  
rum & tumultuum? Quid camino ignē & igni oleum inferre  
prodest? Parcite hic mihi quæso, fratres & Symystæ colendi,  
si istis hominibus paucis responderim. Possent enim illorū cla-  
mores facile contemnere, nisi ex eorum numero essent, qui &  
ipsi



## Præfatio.

ipsi euangelicæ ueritatis non fautores modo, sed & doctores, nec uulgares, dici uolunt: quibus cum meum hoc institutū ualde improbetur, non possunt iisdem omnes illi labores placere, quibus Pontificia tyrannis impugnatur. Interim tamen iisdem illi in miseris monachis & sacrificulis exagitandis mire laboriosi sunt & industrij. Hic sibi placent & mire superbiunt, si quod ipsis dictum nouum, falsum, acutum contra infœlicia illa monstra forte exciderit. Horum uero caput & principem oppugnari nolunt. Sed ipsi mihi respondeant uelim. Num uerum esse putatis, ô superciliosi & tantumnon Seraphici Theologi, quod Paulus apostolus, quod ipse Deus uos Speculatores in domo sua cōstituerit? Verum id esse dicetis haud dubie, nec negare potestis, nisi omnem authoritatis uestre gloriā cuius studiosissimi estis, uelitis amittere. Quod ergo speculatoris officium esse putatis? Num, ut unum duntaxat atq; alterū è hostium numero gregarium militem signo dato prodat, ipsum uero belli caput summumq; imperatorem, si cum tota hostiū manu appropinquet, silentio prætereat? Non opinor hoc dicetis. Imò tunc maxime inflanda tuba, tunc maxime canendum clausicum, tunc maxime in arma ciendi ciues, cum maximū urget periculum: & nisi id speculator fecerit, iam nō ignauus modo, sed & perfidus & reipub. proditor dicetur. Quæ ergo malū est insania, in ecclesiæ administratiōe id agnoscere nolle, quod in reipub. non utile modo sed & necessariū uidetur? Quæ obsecro arma sunt, quibus maxime nocet & furit Antichristus? Mendacia utiq; & imposturæ, quibus sese uenditat. Falsa persona tectus in multorum animis regnat, quorum ignorantia et simplicitate ad tyrannidem suam stabiliendam abutitur. Num ergo ignorantia amplius seduci patiemur, quos illa simul & tanta tyrannide per ueritatis lucem liberare possumus? Num



## Præfatio.

grassantem belluam arguere timebimus, ne eius iram prouocemus, quæ blanditijs plus quam ira nocere solet? Minime hoc faciendum, ô fratres. Imò eripienda est monstro huic larua, quæ se uenditat: detrahenda est leonina, ut Cumanus agnoscatursinus, qui hætenus inuictus ille leo de tribu Iuda uideri uoluit. Nec nos illius iræ mouere debent, nec illius terrere fulmina. Rubet bestia hæc iam olim sanctorum sanguine. Iacent sub magno altari innumerabiles sanctorum animæ, quas illa propter uerbum Dei & testimonium, quod habuere, sustulit. Adaduntur illis plures quotidie. Clamant omnes illæ, Vsq̄uequò Domine, qui es sanctus & uerax, non iudicas ac uindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Sed audit has uoces dominus, qui iam ad iudicium & uindictam paratus mox erumpet, ut primum bestię mensura impleta & martyrum suorum numerus cõsummatus fuerit. Nos interea temporis quod frugi dispensatores et fidos speculatores decet, faciamus. Verbi pabulo pascamus gregem Domini, uenenum arguamus, conculcemus, eijciamus ne noceat. Hostem & dolos atq; arma eius digito monstremus, ut norint quem fugere debeant oues Domini. Sic enim amplum nobis paratum præmium accipiemus. Pœna autem manebit eos horribilis, qui sua negligentia aliam quam è Christi grege ouiculam perdidierint. His equidem rationibus ipse motus, hunc laborem (qui quanto cum periculo coniunctus sit, non ignoro) suscepi, ut Romanum Pontificem uerum Antichristum esse probarem. Et eundem uobis dedicandum putauim, fratres & Synmystæ dilecti, non quod meis his ipse iuuenis grandiores natu, indoctus doctiores, infans & elinguis eloquentissimos erudiri posse putarem, sed quod studiorum meorum ratione ijs constare uolui, quos animi fortitudine & fidei constantia iam multis annis in eodem argumento non sine fructu



## Præfatio.

fructu desudauisse uidebā. Nec incōmodum quoq̄ uidebatur eam doctrinam publico omnium uestrum patrocinio munitam in lucem exire, quæ hoc tam afflictō sæculo cum primis est necessaria. Priusquam uero orationem finiam, paucula nobis de altero illo Antichristi gladio, aperta nimirū tyrannide ipsius, dicenda uidentur, ut quæ crucis ratio & ut hæc nobis ferenda sit, facilius intelligant homines.

Ante omnia autem, cuius consilio, instinctu uel permissione ecclesia crucem sentiat, inquirendum erit. Docet id unicus ille & irrefragabilis mundi doct̄or, qui ab æterno in sinu patris fuit, & proinde omnium quoque mysteriorum conscius, nobis eadem, quatenus illa scire phas est & utile, reuelauit. Hic discipulos suos ad uerbi prædicationem emittens, cum de Cruce & persecutionibus multa differuisset, tandem addit: Nōne duo passerculi minuto asse ueneunt? Atqui ne unus quidem ex illis cadet in terram sine patre uestro. Vestri uero etiam pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuatis: uos plures estis, quàm multi passerculi. Hic ergo principalem Crucis causam nobis monstrat Dominus: quod nimirum patris sui uoluntate & cōsilio pijs eueniant, quæcunq̄ euenire solent. Licet enim persecutores ipsos non diuinæ uoluntatis cognitio, sed priuati affectus libido, odium, inuidia & uerbi contemptus moueat, quin & homicidij omnisq̄ uiolentiæ pater, Sathan, excitet: nulla tamen omnium horum est potentia, nullum robur, nullæ contra ecclesiā uires, nisi Dominus illos grassari, & ecclesiam suam nonnihil exerceri permittat. Hinc est, quod Assyrium uirgā furoris sui Dominus, & impios Dei manum & gladium Dauid nominat: cū tamē nec Assyrius ad Dei uoluntatē respexerit, nec impij diuinæ prouidentiae cōsilijs attendant. Est uero hoc consolationis plenū, fratres dilecti, quod nec hostibus



## Præfatio.

ex semetipsis contra nos vires esse aliquas, nec nobis quicquam  
citra Dei uoluntatem euenire audimus. Nam cum Deum non  
iustum modo, sed patrem quoque clementissimum sacræ literæ  
nobis depingant, utique quæ illius consilio aduersa nobis eueni-  
unt, non perditionem uel interitum, sed salutem pollicentur.  
Num enim hominum perditionem optare potest, qui humani  
generis creator est? Num filios suos perditos pater cupiet  
Num extinctos & enecatos uolet? At cum id à patre homine  
alienissimum sit, Deum utique, misericordiæ & gratiæ fontem,  
hoc duriores magisque immitem aestimare non possumus. Cur  
ergo (inquiunt) in nos grassari sinit hostes immanissimos? Cur  
illorum manibus & armis nos obijcit? At qui nam estis, ô boni,  
qui hæc quiritamini? An mirum & inauditum uobis uidetur,  
quod pater in filios ferulam exerit? quod plagis corrigit? Nos  
metipsos potius inspiciamus, & causæ patebunt horum omnium.  
Cum enim in peccatis concepti & geniti nostræ responderemus  
origini, & proinde mortis & damnationis essemus mancipia,  
misertus nostri cælestis pater per filium suum peccata ab-  
stulit, nosque in filios suos adoptans gratiæ ac regni sui hæredes  
fecit, Nuntiat nobis hoc tam lætum & scælix de salute nostra  
consilium Euangelij doctrina, quæ simul etiam quid Deo uis-  
cissim debeamus exponit, fidem informat, uitam instituit, &  
mores plus satis corruptos corrigit. Hic uero correctionis &  
disciplinæ impatiens caro nostra sese moneri, argui, corripiri &  
accusari non uult: quin euangelij doctrina ad suæ licentiæ &  
libidinis prætextum abutitur, & quò maior est & liberior uis-  
uendi securitas, eò magis etiam suis indulgens affectibus furit  
indomitum. Postulat ergo tunc patris cælestis iustitia, ut qui  
uerbis emendari nolunt, plagis corrigantur, quas etiam non  
aliam ob causam infert, quam ut sopore excusso in uiam redea-  
mus.



## Præfatio.

mus. Ne exemplis hic opus est aut scripturæ testimonijs, cum in nobis singuli corruptum hoc naturæ nostræ ingenium sentiamus. Inspecere tamen libet, quæ nostro sæculo contigerunt. Reuelatum est diuina sic fauente gratia euangelij uerbum & Germaniæ populis annis prædicatum circiter uiginti quinque & amplius. Detectæ patuerunt Antichristianæ tyrannidis fraudes, imposturæ, doli & blasphemi conatus. Discussæ sunt ueritatis luce tenebræ omnes. Soluti & dissecti sunt gladio hoc acutissimo indissolubiles antehac nodi et tristissima mortis uincula. His uero solutis tota illa Antichristianismi fabrica in hominum animis repente corruit, & ceu fumi euanuerunt uana illa conscientiarum terriculamenta. Doluit ea res ab initio statim Romano Pontifici. Doluit Cæsaribus, regibus, principibus & populis potentissimis. Varia ab his etiam inuita sunt consilia, quibus herbescentem euangelij segetem extinguere cupierunt. Sed nequicquam omnia. Imò illos ipsos mutuis bellis horribiliter commissos & attritos uidimus, qui Christo iam bellum parabant. Nunc uero nostris ceruicibus idem imminet: nunc ferro & igne in nos grassantur: nunc cædibus & incendijs omnia miscent. Quam uero ob causam? Num quod Christus iam infirmior & minus cautus sit, quàm fuerit antea? Num quod amplius cauere non potest, quod hætenus cavit & auertit? Minime. Sed nostris peccatis hoc malum meruimus. Nostra ingratitude illius iram prouocauimus. Nostris sceleribus armati hostes contra nos pugnant. Et quia pace diu nobis concessa turpiter abusi peccauimus, uirga hac tam seuera in negligentes liberos Dominus animaduertit. Cõsoletur autem nos, quod cum pater sit, non perditionem, non mortem, non interitum, sed emendationem, sed salutem, sed uitam liberorum expetit. Argumentum huius rei infallibile est causa belli & persecutionis, quam



## Præfatio

ipse Pontifex per Bullas suas ubiq̄ prætexit. Ideo enim nos  
excindendos clamitat, quod hæretici simus. At quæ nam illa  
hæresis? Hæc nimirū, quod Romanā superstitionem fugimus,  
meritis nostris diffidimus, soli Christo innitimur, hunc nostrū  
caput, nostrum regem, nostrum Pontificem, nostrū sacrificium  
unicū & sufficiens agnoscimus, quod item cum Paulo apostolo  
nihil nouimus præter Christum Iesum, et hunc crucifixum. Et  
licet ob scelera, quibus infecti nostræ fidei professioni non res  
spondemus, nos affligi permittat cælestis pater: non tamen ob  
hæc nobis irascuntur qui nobis multo sceleratioribus sunt, sed  
hanc unam ob causam contra nos furiunt, quod Christo nita  
tentes ab illorum prophanis cultibus sumus alienissimi. Nam  
quod inobedientiā nescio quam nōnulli causantur, uanissimū  
est, & illos ipse Pontifex per suas Bullas mendaciū arguit. Via  
deamus ergo hic insignem Dei bonitatem. Propter peccata no  
stra, quæ multa & grauiora sunt, propter uerbi contemptum &  
ingratitude excindi merueramus, & quia secure uiuimus,  
ferula opus est: non tamen eo titulo pœnam nostram infamem  
uult esse Dominus, sed ea gloria dignos censet, ut pro ipsius no  
mine, pro fidei ueritate, pro religione, qua nihil est præstantius  
& magnificentius, nos periclitari uelit, & martyrum suorum  
choro ascribere. O bonitatem uere paternā. O misericordiam  
inexhaustam. O gratiæ thesauros opulentissimos. Gratiæ suæ  
uasa nos facere dignatur, qui nosmetipsos iam iræ uasa fecera  
mus: & eo sanguine gloriam suam illustrari, ecclesiæ suæ uita  
neam rigari & fidei atq̄ ueritati testimonium ferri uult, qui  
ob immensa nostra peccata fundi debebat. Quem ergo nunc  
huius crucis pigeat? Quem afflictionum pœniteat? Nesciunt  
profecto hanc crucis nostræ gloriam hostes immanissimi, &  
idcirco corporum nostrorum interitu & cædibus superbunt.  
Nesciunt



## Præfatio.

Nesciunt quod illos maneat iudicium: ut nimirum, eum satis nos illorum furore castigauit Dominus, in ignem æternū ceu sterilis & inutilis posthac uirga cōijciantur. Nos uero cū Paulo apostolo nunc demum dicere cōuenit. Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num famēs? num nuditas? num periculum? num gladius? Quia in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos. Dilexit autem nos Christus Dei filius, qui ut se pro nobis in mortem tradidit: ita nunc demum sic nos diligit & honorat, ut pœnæ quam merueramus infamiam in splendidissimū crucis propter ipsum sustinendæ honorem conuertat. Nec tamen ita nos excruciarī & affligi uult, ut in cruce hæc pereundum sit omnibus: sed hoc querit, ut carnis securitate pulsa fidem, quam ore profitemur, uita quoq; exprimamus. Quod ut primū fecerimus, filios suos iam perditos obujs ulnis complexus excipit, uerum esse probans, quod olim dixit: *Uiuo ego, quod nolo mortem peccatoris, sed ut resipiscat & uiuat.*

Hæc ergo nos monere & docere cōuenit nostræ curæ commissas ecclesias, ut uidelicet cruce nō terreantur pusillanimes, non euentu infœlici offendantur, non ex illo fidem & religionē nostram æstiment: sed ea, quibus Dei iram meruerunt, in memoriam reuocantes emendent, ut ad Dominū conuersi, hunc quoq; ad se conuersum uideant. Sonet in auribus hominum, & perpetuò sonet, quod per prophetā dicit Dominus: *O si populus meus me audisset, si Israël in uis meis ambulasset: Quam breui inimicos eorū deiecissē, & contra infestantes eos uertissē manum meam.* Qui odio habent Dominum, essent illis seruiliter supplices, ipsorum autem æuum esset perpetuum. Hæc si animis pijs & attentis perciperent homines, non esset quod cruce offenderentur: sed malorū omnium remedium haberent præ-



## Præfatio.

præsentissimum. Sed quantum in hac re ubique desit, uideatis opinor non sine acerbo animi dolore, fratres & Symmystæ dilecti. Nondum excussa est pernitiōsa peccandi securitas. Nondum scelerum nos piget, nondum uitiorum pœnitet. Et ut antehac uerbo sese moneri passi non sunt contumacissimi homines: ita nec malis immisisis terreri possunt. Et quia eam in nostris uidere cogimur peccandi licētiam, hostes quoque uiribus indies augeri, & nos deficere uidemus. Sed cum ea sit mundi facies, ut desperandum nobis de hoc planè esset, nisi Dominus suas haberet electorum reliquias: nobis sedulo incumbendum erit, ne nostra socordia aut negligentia quisquam pereat. Exerceamus ergo datum nobis à domino talentū. Pœneremur quantum possumus. Non deerit pijs studijs Dominus, qui ut solus incrementum dat, ita ex lapidibus quoque Abrahami filios efficere potest. Urgeat nos nostri muneris periculosa functio, ut huius semper memores attendamus nobis & cuncto gregi, ne quod uel ex falsis doctrinis uel ex crucis offendiculo damnum ad ecclesiam redeat. Nullis parcamus curis, nullis laboribus, nullis uigilijs, non uitæ, quæ mors potius dicenda est, non corpori quod melius quam in uineæ domini culturam impendi non potest: ut tandem in tremendo iudicij die non ignaui illius serui consortes simus, sed lætam illam summamque consolationis plenam uocem audiamus: Euge serui boni & fideles: super pauca fuistis fideles, super multa uos constituam: Intrate in gaudium Domini uestri, Amen. Valete fratres & Symmystæ colendi. Tiguri pridie Idus Decembris, Anno M. D. XLVI.



# RODOLPHI GVAL

THERI TIGVRINI DE NO

uissimis temporibus & Antichristo,

Homilia prima.

ARGVMENTVM.

Probatnr Christi uerbis, quæ Math. 24. extant, Antichristū esse. Deinde confutatis falsis de hoc quorundam commentis, quid Antichristus sit docetur, & duo proferantur scripturæ loca, ex quibus Antichristi cognitio certa & uera possit percipi.

MATH. XXIIII.



VNC si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudopropheta, & adent signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere, &c.

DOMINVS & saluator noster Iesus Christus discipulis suis magnificam & nobilem templi Hierosolymitani structuram spectantibus dixit: Videtis ne omnia hæc? Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur. His uero Christi uerbis discipuli eius in summam admirationem adducti sunt: & cum externi cultus operosas & splendidas ceremonias, per Mosis legem olim traditas, maiorum & sæculi sui more plurimi adhuc facerent, adeoq; cum religione quadã uenerandas seruandasq; putarent, hac tam graui et seuera Christi domini & præceptoris sui de Templo sententia

A



## Homilia

multū sunt perterriti. Vnde cum in monte comorantem solum ipsi quoque soli conuenissent, tribus quaestionibus ipsi propositis, earum solutionem ab eodem postularunt. Primo uidelicet quarentes, Quando Templum et urbem Hierosolymorum capi et destrui oporteat. Secundo, cum in fine cap. 23. post grauem illam cum Iudaeorum scribis et primoribus expositationem nouissimi sui aduentus mentionem fecisset, de hoc etiam et totius mundi consummatione, quando nimirum illa futura sit, interrogant. Tertio, signa petunt, quibus tam urbis et Templi excidium, quam mundi totius consummationem et ipsius aduentum appropinquare et praeforibus esse, deprehendere possint.

Tribus ergo quaestionibus hisce hoc capite respondet Dominus. Et quia uere fidus doctor suorum ea duntaxat, quae nostrae salutis inferuiunt, edocet: nihil hic de temporum articulis disputat, nec etiam quoto anno, mense aut die haec euentura sint, demonstrat (ut pote quod horum etiam certo percepta notitia nihil profus ad salutis nostrae negotium uel uitae emendationem factura erat, ad socordiam autem et negligentem bonorum operum et uirtutum intermissionem nos prouocatura quae maxime) certis uero et infallibilibus signis illos instruit, quorum indicio haec omnino euentura esse, simulque num breui euentura sint, non obscure deprehendere queant. Quoniam uero uniuersalis totius mundi doctor est Christus Dominus, non Apostolis modo signa haec tradita putabimus: nam et nobis non minus quam illis tradita esse constat, ut nimirum in horum consideratione diligenter uersemur, et ubi illa euenire cernimus, excusso omni animorum nostrorum ueterno ceu fideles minimeque impigri serui Domini nostri aduentum expectemus. Hunc enim suae doctrinae finem ipse quoque Dominus hoc ipso capite et sequenti diligentissime inculcat.

Porro, cum discipuli non de Urbis modo et Templi excidio

dio.



## Prima.

21

āto, uerum etiā totius mundi cōsummatione & nouissimo Christi aduentu instrui postularint, & proinde diuersi quoq; generis signa petierint, ex quibus utriusq; rei ueritatem & tempus deprehendere possent: eiusmodi signa ipsis proponit Dominus, quorum pleraq; ad utramq; quæstionem transferri possunt et debent. Vt enim Dominus Deus olim Israëlitarū gentē sibi peculiariter ex oībus alijs gentibus et populis delegit, et fœdere sibi iunxit sanctissimo: sic eandem illam omnibus alijs exemplo esse uoluit, in quod ceu commune quoddam speculum omnes populi respiciant. Quapropter dirum quoq; illud & horrendū eiusdem gentis excidium, nouissimi Christi Saluatoris aduentus ac totius mundi consummationis, quæ omnibus impijs dira & horrenda futura est, typus esse debuit.

In hoc autē præsentī loco, quē modo ex Christi uerbis prælegimus, unde cœnum signum nobis proponitur, nō sine salutarī admodum præcepto & fida admonitione, qua per Saluatorem nostrum, quid nobis hic faciendum sit, instituimur. SVRGENT, inquit, PSEUDOCHRISTI & Pseudoprophetae, & signa ædent magna & prodigia: ita ut in errorem inducatur, si fieri possit, etiā electi. Illorū ergo pollicitationibus & traditionibus falsis, nolite credere.

Vbi primo loco illud nobis excutiendū erit, fratres in Domino dilecti, ut de CHRISTI uocabulo nobis plene cōstet, quis nā eius in scripturis sensus sit, & quæ significatio. Hinc enim et illud nobis cōstabit, ut nimirum quis Pseudochristus, & qui Pseudoprophetae sint, qui pseudochristū, uel (ut Latinis utamur noībus) falsum Christum nobis monstrare solent. Est autem à Græcis desumpta CHRISTI uox, idem quod Hebræis suum illud Meschia significans, Latinis uero Vnctum sonat. Vnctionis autem apud Israëlitarum gentem usus is



## Homilia

erat, ut nimirum summi Pontifices & reges oleo sacro uncti  
suis officijs consecrarentur: adeo ut, quod reges attinet, unctio  
hac apud eos idem, quod nobis coronandi consuetudo fuerit.  
Testantur hoc scripturae loca, qualia sunt Exod. cap. 29. Le-  
uit. 7. & 8. Adhuc 1. Sam. 10. & 16. cap. ubi de Saulis & Da-  
uidis unctio agitur. Ab hac uero Pontifices regesq; uncti  
consuetudine promissum illud à primo mundi exordio semen  
totiusq; humani generis saluator Hebraeis Meschia, Graecis  
CHRISTVS, nobis uero Vnctus dicitur: eam nimirum ob  
causam, quod is latitiae oleo, nempe Dei spiritu, delibutus, uere  
summus ille Pontifex est & Rex inuictissimus, qui in mundum  
ueniens homo factus est, ac semetipsum pro nobis offerens,  
morte sua mundi peccata abstulit, nos autem è diaboli, mortis  
& inferorum dira tyrannide asseruit, sicq; Rex noster factus  
est potentissimus, qui aeternae salutis leges promulgat, nosq; ab  
omnibus diaboli hostis nostri insidijs & incursionibus tuetur, et  
uindicat. PORRO ut unicus est Dei filius, qui pro nobis  
homo factus, unicus omnium nostrum redemptor & saluator  
est: ita omnes hi falsi Christi sint oportet, qui semetipsum homi-  
num redemptores & saluatores statuunt: tum etiam falsi pro-  
phetae sunt falsumq; Christum monstrant, quotquot salutem &  
redemptionem hominum, peccatorum remissionem, uiam ui-  
tae, gratiam Dei & ueram aeternamq; beatitudinem alibi, quam  
apud solum & unicum Dei filium, redemptorem & saluatorem  
nostrum Iesum Christum, quaerere docent. Vnde notandum  
hic est, CHRISTI uocabulum pro redemptore, saluatore  
& uindice usurpari, quare uerborum Domini nostri sensus hic  
est: Cum Templi & urbis destructio appropinquare coeperit,  
o fratres, plures surgent qui se populi saluatores esse iacta-  
bunt, multosq; è populo in suas partes abstrahent, cum uidelicet

Psal. 44.

Pseudo-chri-  
stus quis.

Verborum  
Christi  
sensus.

cet.



et apostolos quoque & prophetas suos habituri sint, qui ipsos simplici & rudi populo commendent. Similiter uero nouissimis illis temporibus gloriosum aduentum meum non pauci praecedent, qui illud sibi uendicare audebunt, quod ipse solus sum, id est, tales se falsis commendationibus & impia arrogantia instabuunt hominum animis, ut qui penes se salutis, redemptionis, peccatorum remissionis uitaeque aeternae gratiam habeant. Istiusmodi uero hominibus ne credideritis, etiamsi innumeros sui nominis & doctrinae praecones emittant, quorum uerbis & studio quam maxime commendentur, imò licet signa & prodigia aedant haecenus uix uisa uel cognita. Impostores enim sunt ac simplicis rudisque uulgi seductores mendacissimi. Ecce ergo, praedixi uobis & praemonui: uos saltem mearum admonitionum memores tantam pestem cauere & uitare discite.

Ceterum, ut de his fideliter suos Christus admonuit: ita uerum uatē fuisse res ipsa testatur, et postea factorum ueritas comprobatur. Nam si urbis & templi destructione ac quae hanc praecesserunt consideres, plures istiusmodi duces & dolis instructos principes inuenire licebit: utpote Magos aliquot daemoniacis artibus instructos, deinde alios quoque improbos & audaces homines, inter quos primo loco Aegyptius quidam, tū Caphedon, Theodas & alij connumerantur: qui ut falsis pollicitationibus populū alioqui plus satis ad seditiones propendentē sollicitarūt, ita multis maximarum calamitatum et extremorum malorum auctores fuerūt. Vide de his Iosephū Anti. li. 20. cap. 11. 12. & 14.

Deinde si Apostolorum tempora et quae circa primitiuam ecclesiam contigerunt respiciamus, constabit omnino tunc quoque plures exortos esse, qui diuinæ gratiae munera & salutis dona partim sibi uendicarunt, partim alibi quam apud solum & unicum redemptorem nostrum, Iesum Christum, monstrauerunt.

Pseudochristi apud Iudeos.

Pseudochristi in ecclesia.



## Homilia

Huc enim referri debet, quod in Actis de Simone Mago legimus, qui semetipsum Virtutem Dei magnam appellare ausus fuit. Huc etiam adnumerandi sunt hæreticorū greges, qui ipsis statim apostolorū temporibus, uel paulò post exorti, hominum multorū animos à Christo Iesu abstraxerūt, & eorundem conscientias doctrina sua perturbarunt miserè. Huc referendus erit blasphemus ille & totis animi uiribus diabolo addictus impostor Mahomet, qui nouæ legis author, nouum quoq; & inauditum ante cælorum regnum, nouā beatitudinem, nouam item salutis uiam, nouamq; sectam nefario ausu cōmentus est. Huc deniq; pertinent, qui Christianā quidem religionem atq; fidem titulotenus iactitant, interim uero peccatorū remissionem, Dei patris gratiā, uitam & salutem æternam nequaquā in solo saluatoris nostri Iesu Christi merito monstrare consueuerunt, sed simplices rudesq; hominum animos aliò ablegant: quales Pontificios doctores omnes esse dicimus, qui ore quidem Christum Iesum profitentur, suæ uero doctrinæ & religionis sectatores partim proprijs operibus atq; meritis fidere, partim ad sanctorum merita, ad Diuorum intercessionem, ad Pontificū indulgentias, ad sanctorū imagines, ad multas deniq; eiusdē generis nugas & humani capitis, imò superstitionis figmenta, ablegare, & ut in his animorum solatia, pacem & conscientiarū tranquillitatem quærant, docere solent. Nam & hos non minus q̄ alteros illos Christi uerbis notari luce clarius constabit, si quæ hoc loco dicuntur cum illorum traditionibus cōferantur. Nec enim peccatorum remissionē modo atq; animarū salutem alibi quàm apud Christū saluatorem nostrū, sed & hunc ipsum Dominum nostrū diuersis in locis contra scripturarū & uerbi Dei auctoritatē monstrare nō uerentur. De Christo enim, qui in crucem suspensus & mortuus est, deinde uero à mortuis resuscita-



tus, corpus suum uerum in caelos uidentibus discipulis subue-  
xit, praeter disertos fidei nostrae catholicae articulos & sacro-  
sanctae scripturae ueritatem, tradunt, quod corporaliter simul  
& substantialiter, qualis nimirum in cruce suspensus pro nobis  
semetipsum obtulit, altaris sacramento contineatur, & consecra-  
tis in hunc finem aediculis uel Ciborijs (ut illi uocant) inclusus  
lateat, eundemque ipsi in locis rudi plebeculae monstrant, quam suis  
traditionibus ac figmentis eò insaniae adduxerunt, ut fidelis  
huius Domini nostri Iesu Christi admonitionis oblita, illorum  
rugis fidem habuerit, & impostores hosce magna hominum pars  
secuta Christum Dominum mundi saluatorem in pane, in Cibo-  
rijs, in altari atque alijs diuersis in locis quaerere satagat. Quan-  
tus uero & quam enormis hic mundi error sit, alijs in locis (Deo  
sic uolente) copiosius demonstrabitur.

Quoniam uero ipsum Christum Dominum hoc loco falsos Antichri-  
stos nominare & eiusmodi impostorum mentionem fieri au-  
dimus, qui per pseudoprophetas suos plures hominum seducturi  
sunt: interim uero communis haec & unanimes omnium hominum  
auditur sententia, quae ante nouissimum illum Christi iudicis  
aduentum mundique totius consummationem magnum quendam  
Antichristum magno cum multorum hominum interitu & dam-  
natione exoriturum esse credit: postulare id mihi praesens hic  
locus uidetur, ut uniuersum illud Antichristi negotium (cum no-  
uissimos dies nos uidere contigerit) inquiramus & expendamus  
summo quoad fieri potest studio, ut si quod ab hoc periculi no-  
bis imminet, id nos cauere et salutis incommoda uitare possi-  
mus. Quapropter ut quae huc faciunt clarius nobis patere pos-  
sint, tria nobis, priusquam rem ipsam aggrediamur, expedienda  
uidentur. Primo quidem, ut num Antichristus aliquis certo  
uenturus sit, inquiramus. Deinde, ut quid nam Antichristi



## Homilia

nomen sibi uelit, & quis Antichristus sit, simulq; ut in huius cognitione haecenus aberrarint homines, nobis constet. Tertio, quid de Antichristo sacris literis nobis traditum sit, & quid nos de illo sentire & credere oporteat.

**An sit Antichristus,**

Atqui Antichristū nouissimis mūdi huius temporibus ante ultimum & gloriosum Christi iudicis aduentū exoriturū esse, tam ueteris q̄ Noui Testamēti literis sufficienti testimonio traditur. Nam diuinus ille uates Esaias cap. 11. uniuersum promissi Messiae & saluatoris nostri negotium descripturus, inter alia eius opera illius quoq; meminit, quod spiritu labiorū suorum interfectorus sit impiū. Quo loco per Impij uocabulū non quiuis Dei aduersarius atq; hostis sed magnus ille & insignis Dei inimicus, Antichristus scilicet, intelligendus est, ut is nimis ceu summæ impietatis caput *κατ' ἐξουίαν* impius ille dicatur. Testis hic nobis est Paulus apostolus, qui in posteriori ad Thessal. epistola de Antichristi interitu differens, prophetici huius loci testimoniū & uerba usurpat. Huc quoq; connumerandus erit Dauidis Psalmus decimus, qui & ipse secundū D. Hieronymi et Augustini sententiā sub impij titulo Antichristi personam graphice depingit. Facit & huc diuinus propheta Ezechiel, qui per Gog & Magog Antichristi imaginē non obscure adumbrat. Adhuc praestantissimus ille prophetarū & uir desideriorū Daniel. cap. 7. & 11. omne Antichristi negotiū ea oraculorū perspicuitate enarrat, ut non de futuris uaticinari, sed rei gesta historiā scribere uideri possit. Similiter & Zacharias propheta cap. 11. eiusdem monstri meminit, dum pastorem quendam producit stultum, & idolū potius quā pastorem, qui ab omni pastoris ueri officio futurus sit alienissimus. Quod si uero ad Noui Testamenti libros accedamus, hoc quoq; ut & reliqua omnia, euidentius multo & perfectius demonstrari cernemus.

**Ezech. 38.  
& 39.**



nemus. Hic enim ipse Dominus & irrefragabilis ueritatis doctor Iesus Christus falsos Christos nominat, & eosdem in fine capitis planius adhuc describit. Dilectus uero ille Christi saluatoris discipulus ipsum quoque Antichristi uocabulum in priori epistola cap. 2. usurpat, sic scribens: Filioli, nouissimum tempus est: & sicut audiistis, quod Antichristus uenturus sit, etiam nunc Antichristi multi coeperunt esse. Præterea in sacrosancta illa Reuelatione sua, quam Christo domino reuelante accepit, omne eius negotium tanto studio & diligentia exprimit, ut unâ cum ipsius origine, ipsa quoque impij huius primordia, successus, potentiâ, uires, artes, opera, finem & interitum, sed & tempus quoque & locum notatim quodammodo & ceu digito monstret. Id ipsum magnus ille Christi apostolus Paulus facit 2. Thess. 2. Huc denique illud etiâ, quod 1. Timot. 4. & 2. Pet. 2. cap. 1. alijs in multis locis scribitur, referri debet, in quibus omne Antichristi famulium, nepe pseudoprophetarum turba copiosissime proprijs suis coloribus depingitur. Nullo modo igitur de Antichristi ortu & tyrannide nobis dubitandum est, quin potius uigilandum & attendendum diligentissime, num iam exortus suam illam, quam prophetae prædixerunt, tyrannidē exerceat.

Cæterum hoc loco alterum illud, quod secundo loco proposuimus, cognitu cūprimis est necessarium, ut nimirum quid Antichristus sit, intelligamus: ubi humani generis cæcitatem simul & efficacem Sathanæ imposturam uidere licebit, qua ita nos demeruit, ut Antichristo quidem seruiamus omni officiorum genere, eundem uero non potuerimus agnoscere. Omne uero hoc more suo mendaciorum tenebris effecit callidissimus artifex. Falsam enim de Antichristo fabulam commentus, tantam ueritatis ignorantiam excitauit, ut falsa imagine animo concepta, uerum illum Antichristum sub huiusmodi laruis latitantem minus depre-

Antichri-  
stus quid.



## Homilia

*Fabula de* hendere nobis licuerit. Hinc etenim literis quoque traditum uia  
*Antichro.* demus, Antichristi eam originem futuram esse, ut e Iudaeorum gen-  
te, e tribu Dan ipsum nasci oporteat, eo quod Iacobi oraculum  
**Gen. 49.** extet, Futurus est Dan serpens in uia, et aspis in semita: Conci-  
piendum uero in peccatis, sic ut ab ipso statim conceptionis arti-  
culo in utero matris latentem inuasurus sit Sathan, eumque reli-  
cturus nunquam. Deinde in Babylone natum, Bethsaidae et Co-  
rozaim educandum esse, idque Christo Domino teste, qui ideo in  
Euangelica historia urbes hasce deuouisse et horrendum illud  
**Matth. 22.** uae ipsis intonasse legitur. Et ut huic tam uastro commento ni-  
hil, quod ad ueri similitudinem pertinere uideatur, deesset, multa  
alia quoque Sathanae instinctu addiderunt homines ad fallen-  
dum aptissimi. Ut enim (inquiunt) conceptione simul et natiui-  
tate in luce adetur plane diabolica: sic etiam magorum, incantato-  
rum et ueneficorum agminibus usque cingetur, qui infelicem a pri-  
mis statim annis in huiusmodi nefandarum artium exercitio eru-  
diat diabolicisque macipabunt seruitijs. Vbi uero Hierosolymam  
usque puenerit, sede sua in Dei templo collocata, quotquot e Chri-  
stianorum ac fidelium numero suis mendacijs atque imposturis des-  
metare nequuerit, horrendis et inauditis suppliciorum generibus  
excruiciatos enecabit. Nam et Solomonis templum per eundem  
denuo extruendum esse tradunt: sic ut in hoc sessurus et sese ueri  
Messiae et filij Dei titulo ueditaturus sit. Sed et apostolos suos  
in orbem uniuersum emittet, quorum ministerio et opera primo qui-  
dem principum animos, deinde ipsos quoque populos in suas para-  
tes abducat, e quibus alij quidem muneribus opumque cupidine cor-  
rupti, alij minis et periculorum formidine territi, reliqui uero mi-  
raculorum nouis formis et infinita impostura demetati cedent.  
Quotquot uero comentis ipsius fide adhibere detrectarint, di-  
uisis poenis enecatos perdet, inter quos Heliam quoque et Enoch, no-  
uissimam



uissimi illius iudicij præcursores, occidi necesse est. Et tandem ubi hæc persecutionū tyrānis biennio & semestri tēpore durabit, nouissimus Domini dies superueniēs miseriarū finē faciet. Hæc (inquā) sunt Sathanæ de Antichristo cōmenta, fratres in Christo dilecti, quæ scripturarū quoq; testimonijs improbus ille mendaciorū artifex ornauit et suffulsit, ut nimirū nobis falsa huius imagine concepta aliō respicientibus, ueri Antichristi tyrannidē ipse interea excitare & dignis uiribus ad hominum perniciē & interitū confirmare posset. Ideo enim apud infelice Iudæorū gentē illū monstrare, & Babylonē usq; ingeniorū nostrorū cogitationes ablegare, tū de Solomonico tēplo (quod iuxta irrefragabile Christi Domini sententiā nunquā posthac ædificari poterit) multa nugari uoluit, ut interea eius nobis nulla subiret memoria q̄ Romæ in fidelīū ecclesia caput extulit & cōtra ipsum Dominū nefario ausu elatus simplices et rudes hoīm mentes grauissimis infecit erroribus. Maiori ergo hic nobis cura et diligentiori studio opus est, quò ipsum quoq; Antichristi uocabulū penitus inspicere et sensum ipsius diligentius excutere conuenit, ut cui mortalium illud imputari debeat, nobis plenissime constet.

ANTICHRISTVS Græca uox, ab ἀντι, quod cōtra rietatē et oppositionē significat, et χριστός, de quo supra diximus, cōposita, eū notat, q̄ Christo Domino cōtrarius et oppositus honorem, gloriā & officia deniq; oīa, quæ soli Christo saluatori nostro debētur, sibi iniusto titulo & iniqua arrogātia uēdicat. Vnde Paulus rē potius quā nomē spectans ἀντιχριστὸν uocat, qui in tēplo Dei sedens supra omne quod Dei nomine colitur, sese efferat. Et eadem cōpositionis figura hodie quoq; Antipapā uocant Antichristiani homines, qui uel ab alijs electus illegitime, uel propria inflatus insolētia legitime electo Papæ sese opponit & sedem illam abominationis inique affectat



## Homilia

uel etiam occupat. Porro, cum Antichristi nomen Christo con-  
trarium & oppositum sonet, utiq; Christum Dominum & Sal-  
uatorem nostrum primo loco agnoscamus oportet cum omni-  
bus ijs, quæ illi propria sunt: inde enim quis nam uere Antichri-  
stus sit & dici debeat, aperte uidebimus. Atqui CHRIS-  
TVM IESVM talem nobis depingūt traduntq; sacræ  
literæ, ut qui ab æterno uerus Deus & eiusdem cum patre suo  
cœlesti essentia uel substantia existens, præfinitis temporibus  
ueram hominis carnem & naturam, nostræ per omnia exce-  
pto peccato similem, propter nos assumpserit, ut nimirum sum-  
mus noster posset esse pontifex: cuius officium ita præstitit, ut  
semetipsum in ara crucis offerens, Deo patri suo cœlesti perfe-  
cta et sufficienti pro totius mundi peccatis uictima perlarit.  
Perfecto autem redemptionis nostræ in ara crucis negotio, se-  
pultus propria sua ac diuina uirtute corpus suum, uerum uide-  
licet quem assumpserat hominem, à mortuis excitauit, ut nimi-  
rum mortis imperium, quod illa in nos obtinebat, infringeret  
& aboleret penitus. Hinc corpus suum in cœlos subuexit, ut  
horum portas, quas primi parentis transgressio & nostrum o-  
mnium peccata clauserant, denuo nobis patefaceret, ibiq; pro  
nobis apud Deum patrem fidelis aduocatus & mediator com-  
pareret, imò arrhabonis & pignoris loco esset, quo nostra fi-  
des confirmaretur, qua nostra quoq; corpora per fidem in ipsum  
cœlorum regnum & æternam beatitudinem possessura credi-  
mus. Quibus de causis eundem illum nostrum Caput, Sum-  
mum Sacerdotem, Regem, Saluatorem, Redemptorem, Me-  
diatorem, adeoq; unicam uitæ & æternæ salutis uiam sacra  
scriptura nominare consueuit, quæ etiam locupletissimis testi-  
monijs quæcunq; modo diximus, confirmat. Paulus enim apo-  
stolus ad Philippenses suos scribens cap. 2. sic inquit: Christus  
Iesus



*Iesus cum in forma Dei ( id est, uerus Deus ) esset, non rapina  
 nam arbitratus est, ut esset æqualis Deo: sed semetipsum inani  
 uit forma serui sumpta, atq; in similitudine hominum constitu-  
 tus & figura repertus ut homo ( id est, uerus homo per omnia  
 nobis peccato excepto similis factus ) humilem præbuit semet  
 ipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.  
 Rursus in priori ad Timoth. epistola cap. 1. Christus Iesus  
 ( inquit ) in mundum uenit, ut peccatores saluos faceret, quo-  
 rum primus sum ego & c. Et alibi, nempe Hebr. 9. cap. sic scri-  
 bit: Quatenus illud manet omnes homines, ut semel morian-  
 tur, post hoc autem iudicium: ita & Christus semel oblatus, ut  
 multorum peccata tolleret, rursus absq; peccato conspicietur  
 ijs, qui illum expectant ad salutem. Et paulo ante hæc uerba  
 sic eundem illum scripsisse legimus: Non enim in manufacta  
 sancta ingressus est Christus, quæ uerorum typus & exem-  
 plum sunt: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc in conspectu  
 Dei pro nobis: non ut sæpius offerat semetipsum, quemadmo-  
 dum Pontifex ingreditur in sancta singulis annis per alienum  
 sanguinem. Alioqui oportuisset ipsum sæpius passum fuisse à  
 condito mundo. Nunc autem semel sub consummationem sæ-  
 culorum, ad profligationem peccati, per immolationem sui ip-  
 sius apparuit. Et huc quidem omnia ea pertinet, quæ de Chri-  
 sto Iesu in hanc sententiã, dicunt apostoli: qualia sunt: Christus  
 factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & rē-  
 dēptio. 1. Corinth. 1. Absit à me, ut gloriar, nisi in cruce Domi-  
 ni nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et  
 ego mundo. Galat. 6. Item, Vnus est Deus, & unus mediator  
 inter Deum & homines, homo Iesus Christus. 2. Timoth. 2. Si  
 quis peccauerit, aduocatū habemus apud patrem, Iesum Chri-  
 stum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non*



## Homilia

pro nostris autem tantum, sed etiã pro totius mundi. 1. Ioh. 2. Non est aliud nomen sub sole hominibus datum, in quo possint salui fieri, præterquam nomen IESU. Acto. 4. Ad eundem scopum pertinet Dei patris cœlestis uox, qua ille altera uice cœlitus intonuit, dicens: HIC EST FILIUS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI COMPLACITVM EST. Matth. 3. & 17. cap. Eodem quoq; referendum est, quod ipse Dominus per spiritum suum sanctum apud Esaiam prophetã loquitur: EGO DOMINVS. Hoc est nomen meum, & gloriam meã alteri non dabo. Atqui Christi Domini nostri gloria hæc est, quod sanguine suo uindice solus ipse nos à peccati, mortis, inferorum & Sathanæ tyrannide asseruit, et proinde omnium nostrum (utpote quos proprio pro nobis effuso sanguine redemit) Dominus est, talisq; ab omnibus nobis agnoscere debet. De hac gloria & honore, uerba faciens, hunc nemini se daturum esse profitetur. Ex quibus Christi uerbis euidenti simul & firma demonstratione cõstabit, Antichristum esse, quicumq; gloriam hanc & honorẽ Christo Domino & saluatori nostro eripere & sibi uendicare conatur. Quisquis ergo peccatorum remissionem, diuinæ gratiæ munera, salutis dona, regnumq; cœlorũ sibi uendicat, Antichristus est. Quisquis eũ sacerdotij honorẽ sibi arrogat, ut se pro mundi peccatis sacrificare dicat, Antichristus est. Quisquis semet ipsum apud Deum patrem intercessorem pro uiuis & mortuis statuit, alia nimirũ ratione & modo, q̃ quo secundum scripturæ traditionẽ mutuas preces p̃ nobis inuicẽ fundere iubemur, Antichristus est. Quisquis itẽ hæc quæ modo recensuimus salutis nostræ dona, uel omnia simul, uel singula, alibi q̃ apud solum Dominũ nostrũ Iesum Christũ monstrat, & alibi q̃ apud hunc solum quærere docet, q̃ semel pro nobis oblatus corpore suo



suo nunc in cælis residet, is falsum Christum, imò Antichristum  
 nobis mōstrat, & ex eorū est pseudoprophetarū numero, quos  
 Christus Dominus hic nominatim pstringit. Vnde simul et hoc  
 nobis cōstat, Antichristū nō unicū modo & singularē hominem  
 fore, quē admodum olim cū in Pōtificiæ superstitionis caligine  
 uersaremur, creditū est, sed quod plures Antichristi sunt, ut ex  
 Ioanne apostolo paulo ante demōstrauimus. Inter hos autem  
 Caput est et primarius quidā huius abominatiōis princeps: imò  
 regnum habēt omnes isti, sedemq; regni primariā, quā qui occu-  
 pat, is certe uerus ille, magnus & Supremus Antichristus est,  
 in quo cōmunis humani generis hostis Sathan, omnes suas uir-  
 tes, omne robur, omnē potentiam atq; operationem, omnes de-  
 niq; conatus suos, dolos, fraudes, astus & consilia in hominum  
 perniciem & interitum profert. Et de hoc quidē nos tertio lo-  
 co acturi sumus, sic ut quid J. ris literis de hoc traditum sit,  
 q̄ euidētissima per nos fieri potest, demonstratione pponamus.

Quoniam uero sacrosancta scriptura pluribus in locis (ut  
 modo annotauimus) de abominabili hoc Antichristi negotio  
 differit, magni laboris & molestiæ opus foret, et quod plus ob-  
 scuritatē q̄ lucis illaturum esset, si omnes, quotquot de hoc ex-  
 tant prophetarū & apostolorū loci, pferre conaremur. Ex om-  
 nibus ergo duos duntaxat eligemus, q̄ uniuersum hoc negotiū  
 omniaq; illius mysteria euidentissime depiēta nobis proponūt.  
 Primus autē Danielis est, cuius scripta hac in re summā fidem  
 & autoritatē apud nos merito obtinere debēt, cum eadem à  
 Christo Domino hoc cap. citari uideamus, qui et ipse nos ad di-  
 ligentē eius lectiōnem & cognitionem excitat. Alter uero ex  
 insigni & excellenti Christi Apostolo Paulo proferetur, qui et  
 ipse electum Dei uas atq; organum dicitur, & in tertium usq;  
 cælum abreptus ineffabilia uidit regni cælorum mysteria.



## Homilia

Locus  
Dan. 7. de  
Antichristo

Diuinus propheta & uir desideriorum Daniel diuina reuelatione eorum, quæ à suo sæculo ad mundi consummationem usq; euentura fuerunt, seriem edoctus, hæc ipsa posteris quoq; innotescere uolens, sic scribit: Videbam per nocturna uisã, ut quatuor uenti cæli mare magnum commouerent. Et quatuor animalia grandia, eaq; inter se diuersa è mari ascenderunt. Primum, simile fuit Leoni, habens aquilinas alas: spectabam uero donec euulsæ sunt eius alæ, & è terra eiectum est, atq; in pedes erectum hominum ritu, mensq; humana illi data est. Ecce autem aliud animal secundum, simile Ursu, idq; ad unum latus constitutum est, habens tres bolos in ore suo inter suos dentes. Cui sic dixerunt, Surge ac deuora carnem multã. Post hæc spectabã, & ecce aliud Pardo simile, habens quatuor alas uolucris in dorso suo, quatuor etiam cornua fuerunt huic animali, eiq; traditum est imperium. Post hæc spectabam in uisus nocturnis, & ecce animal quartum formidabile atq; terrificu, & eximie robustum, quodq; habens grandes ferreos dentes uorauit & cominuit, & reliquum proculcauit pedibus suis. Fuit autem prorsus diuersum ab omnibus animalibus, quæ ipsum præcesserunt, habens etiam decem cornua. Dumq; cornua considero, ecce aliud cornu paruum inter illa succreuerat, à quo tria ex cornibus prioribus sunt detracta &c. Quoniam uero paruo isto cornu Antichristi figuratum mysterium, ut postea demonstrabitur, prius nobis hæc prima uisionis propheticæ pars consideranda est.

Et huius quidem interpretem nactus angelu per quatuor hæc bestias, quatuor reges uel Monarchas, adeoq; monarchias & regna quatuor figurari discit: ea nimirum quæ et gentilium scriptores in suis historiaru libris commemorant: & hæc quidem uento diuinæ providentiæ magnum illum mundi totius



ius Oceanum comouente prodierunt. Primum Babyloniorum uel Assyriorum est, cuius imperio & potestati tunc subiectus erat Daniel. Leoni autem hoc confertur aquilinas alas habenti. Vt enim Leo inter quadrupedes nobilissimus, & ceu rex in reliqua animalia imperium obtinet: ita Babylonicum quoque uel Assyrium regum inter omnia mundi regna robore, fortitudine, nobilitate & praestantia excelluit, tum etiam celeri & incredibili uictoriarum ac successuum fortuna, uniuersum terrarum orbem instar aquilae cuiusdam uelocissimae penetravit. Quia tamen superbia & fastu elati huius principes Deum contemere, & suis uiribus gloriam omnem nimium insolenter uendicare ceperunt, alae eius euulsae sunt & ablata uictoriarum fortuna in pedes erectum est ritu hominum, sic nimirum ut diuinis iudicijs perdomiti huius reges se homines mortales & fragiles esse agnouerint.

Secundum regnum Persarum est, a Cyro inuictissimo ipso rege eo potentiae euectum, ut orbis totius monarchiam atque Imperium obtinuerit. Hoc cum ingens admodum uastumque, et proinde gubernatu difficillimum fuerit, urso animali uasto atque inepto confertur. Dicitur autem hic multam carnem deuorauisse, tresque bolos suis tenuisse dentibus. Vt enim Imperij sui terminos Cyrus longe lateque extendit: ita initio statim sui Imperij tria regna amplissima occupauit, Persicum uidelicet, Medicum & Babylonicum. Tertium regnum Macedonum uel Graecorum est, cuius primum authorem Magnum illum Alexandrum fuisse legimus. Hoc Leopardo quatuor alas habenti, & totidem cornibus armato spiritus sanctus confert. Notatur autem uasfrum, callidum & uersipelle Graecorum gentis ingenium, qui instar Leopardi, animalis longe uasferrimi, res suas ferè dolis & astutijs peregerunt. Alae etiam



## Homilia

in signem illam & exemplo carentem Alexandri Magni celebritatem figurant: qui paucissimorum amorum curriculo Asiam & Africam bellorum motibus peragravit, suorumque subiecit imperio. Cornibus uero quatuor Leopardus iste armatus spectatur, eo quod post Alexandri Magni obitum Imperium totum in quatuor regna a suis ducibus diuisum est, nempe in Aegyptium, Syrum, Asianum & Macedonicum. Quartum regnum Romanum est, quod propter robur inuictum, fortitudinem imperitiam, audaciam effrenem, potentiam denique, crudelitatem & tyrannidem immanissimam nouam & incognitam, certumque carum nomine, bestiae confertur. Romanorum enim populum Imperij & amplissimae ditionis cupidissimum omnia mundi regna occupauisse, Imperij terminos longe lateque extendisse, regiones omnes insatiabili fame uorasse, gentes omnes ac populos subegisse, omnes item totius orbis opes atque diuitias in urbem suam comportasse, simulque omnes nationes diris suae ambitionis pedibus calcauisse, attriuisse, uastauisseque constat. In horum Imperio atque Monarchia Antichristi mysterium omne hisce uerbis describit Daniel: Decem cornua fuerunt animali isti. Dumque cornua considero, ecce aliud cornu paruum inter illa succreuerat, a quo tria ex cornibus prioribus detracta uel auulsa sunt. Et ecce cornua fuerunt in isto cornu uelut oculi hominis, & os loquens grandia, & magnificentius alijs uidebatur. Quod cornu etiam me spectante praelium fecit cum sanctis, & praeualuit eis. Donec uenit prouentus aetate, & iudicium datum est excelsis sanctis, & praesentibus aduenit tempus, ut sancti regnum obtinerent. Haec (inquam) omnia per uisionem de Antichristi mysterijs edoctus est Daniel, una cum eorundem interpretatione, quam et ipse ab angelo acceptam subiungit hisce uerbis: Bestia quarta significat regnum in mundo fore quartum, quod differat ab omnibus regnis, & deuoret



deuoret terram totā, eamq; conterat & cōminuat. Cornua uero decē significant, quod ex eo decem reges consurgēt, & post eos cōsurget alius, differens à prioribus, qui tres reges oppressos deiciet. Verba etiam faciet de rebus diuinis: caterum sanctos excelsos implicabit, sibiq; arrogabit mutare temporum statum & leges, quæ tradentur in eius potestatem seu lōgo seu breui temporis spatio. Porro iudicium confedit, & dominatum ei ademerunt, ut penitus uastetur ac perimatur. Populo autem sanctorum excelsorum tradetur regnum, et dominatus, et amplitudo regnorum sub toto cælo: cuius regnū est regnum æternum, & omnes primates seruient ei, & obtemperabunt. Et hæc quidem uisionis est interpretatio, quæ Danieli per angelum tradita certis quibusdam notis & infallibilibus docet, paruo isto cornu magnum illum Christi Saluatoris aduersarium, Antichristum, representari. Cōtra sanctos enim, id est, fideles, quos sanguine suo sanctificauit Christus, bellum mouere dicitur. Adhæc grandia loqui docetur, idq; tanta cum insolentia, ut de rebus diuinis quoq; sermones miscere tentet. Nec illa dixisse ipsi sufficit, nisi & eam potestatem sibi uendicet, qua temporum & omnium rerum huius sæculi statum atque conditiones, imò ipsum quoq; ius & leges pro suo arbitrio mutare possit. Quæ omnia nulli alteri præterquam magno illi et celebri Christi Domini aduersario, Antichristo nimirum, uere competere possunt. Sed de his sequenti oratione copiosiora & planiora dabimus.

Restat nunc alter huius tractationis locus, quæ ex Paulo apostolo nos producturos esse polliciti sumus q; maiore huius uisionis partē in posteriori ad Thessalonicenses suos epistola capite secundo, clarioribus uerbis explanat. Cum enim hi impostorum quorundā falsis dogmatibus perturbati nouissimum



## Homilia

illum iudicij diem & Domini Iesu Christi aduentum iam iam imminere & appropinquare putarent, Paulus fidelis suorum doctor falso conceptam de hac re opinionem huiusmodi uerbis & rationibus confutat: Ne quis uos decipiat ullo modo. Quoniam non adueniet Dominus, nisi uenerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille peccati, filius perditionis, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem, qui deus dicitur aut numen: adeo ut in templo Dei quasi Deus sedeat, ostentans se ipsum esse Deum. An non meministis, quod cum adhuc essem apud uos, hæc dixerim uobis? Et nunc quid detineat scitis, nempe ut ille reueletur in suo tempore. Nam mysterium iniquitatis nunc operatur, idque solum [restat] donec qui nunc detinet eum, è medio tollatur: & tunc patefiet iniquus ille, quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui: cuius est aduentus secundum operationem Sathanae, cum omni potentia, & signis, ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ, in ijs, qui pereunt, pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc, ut salui fierent. Et propterea immittet illis Deus efficacem illusionem, ut credant mendacio, & sic iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniustitiam. Hactenus Pauli apostoli uerba recensuimus, quæ plenam ac perfectam totius negotij huius ac mysteriorum Antichristi descriptionem, simulque apertam uisionis eius, quæ apud Daniele prophetam est, interpretationem continent. Ut autem duo hi loci inter se conueniant & quis nam uerus utriusque sensus sit, sequentibus Homilijs, diuino nobis sic fauente numine, explicabitur. Ex his uero, quæ hactenus dicta sunt, illa nobis obseruanda ueniunt, fratres in Christo dilecti: quod iuxta diuini uerbi & Christi Iesu oracula Antichristus certo uenturus est, qui per pseudopphetas suos infinitam seducet



seducet hominum multitudinem. Huc ergo nobis summo studio & diligentia incumbendum est fratres, ut primo quidem uera & certa nobis constet Domini nostri & unici saluatoris Iesu Christi notitia, qua instructi, tunc quoque falsos Christos ipsumque Magnum Antichristum agnoscere discamus: ne uide licet posthac uaserrimis Sathanae figmentis ut ante dementati illum nec agnoscamus, nec etiam cauere possimus. Quare diligenti uerborum Dei consideratione opus erit, qui et ipse assiduis inuocandus est precibus, ut uerum uerbi sui sensum nobis reuelare, & in ueram filij sui nostri redemptoris cognitionem nos inducere dignetur, ne Antichristi seducamur mendacibus, sed in Christo saluatore nostro, qui aeterna est ueritas, permaneamus firmiter. Ipsi sit honor, laus & gloria in aeternum, Amen.

B 3



Homilia  
RODOLPHI GVALTHERI  
TIGVRINI DE ANTI  
christo Homilia II.

ARGVMENTVM.

Docet quæ Antichristi origo, & ubi illa futura sit, simul exponit, quibus medijs & rationibus suas illas vires, tantamq; tyrannidis suæ potentiam acquisierit.

**D**OMINVS noster Iesus Christus, æternus Dei filius, unicus mundi redemptor ac doctor irrefragabilis, de nouissimis temporibus ac eorundem periculis apud discipulos suos differens, inter alia falsos Christos quoq; falsosq; prophetas in multorum hominum perniciem & interitum exorituros prædicit. Adhæc unanimi scripturarum omnium tam veteris quàm Noui Testamenti consensu docemur, inter hoc peculiarem quendam principem ac excellentissimum Christi Regis & Sacerdotis nostri aduersarium fore, quem communis fidelium cõsuetudine & apostolica authoritate Antichristum nominare solemus: quemadmodum priori Homilia sufficienter demonstratum est. Atqui hæc nequaquam in cum finem dicuntur, fratres in Christo dilecti, ut quid futurum sit audiamus & sciamus duntaxat, nulla interim ampliori rerum futurarum ratione habita: sed illud potius fidei sua admonitione requirit Dominus, ut primarium hunc & insignem salutis nostræ hostem agnoscere & eiusdem dolos cauere discamus, ne & nos istis seducti æternæ dånationis participes cum ipso redamur. Quare alios quoq; scripturarum locos nos inspicere & diligenter conferre oportet, qui maiori certitudine & euidentiã nos de ijs omnibus edocere possunt, quæ hoc loco non  
nisi



nisi paucis uerbis quasi perstringuntur. Nuper ergo duo de hac re scripturarum testimonia produximus, alterum quidem ueteris Instrumenti ex 7. Danielis prophetae cap. alterum uero ex Pauli apostoli posteriori ad Thessalonicenses epistola. Quae licet primo statim intuitu non per omnia sibi inuicem conuenire, sed nonnihil discrepare uideatur, nulla tamen inter haec discrepantia, nulla dissimilitudo, nulla item est contradictio, imò nec discrimen aliud, quam quod Paulus apostolus maioris uerborum & sententiarum luce explanat, quod Daniel prophético more sub uisionis mysterio proposuit, ut sequentia clarius testabuntur. Vt autem nobis quoque uniuersum hoc Antichristi negotium magis pateat, sex Quaestionibus uel Propositionibus omne illud comprehendere & absolui poterit. Primo enim cum illum esse constet, de Origine ipsius inquiremus, quomodo nimirum in loco eum exoriri oporteat, & ubi à nobis quaerendus sit, si in ipsius notitiam certo penetrare conemur. Secundo, quibus medijs, consilijs atque artibus tantas uires tantumque sit acquisiturus Imperium. Tertio, de ipsius persona nobis inquirendum erit, qualis nimirum & haec futura sit, quibusque notis uel proprietatibus agnosci debeat. Quarto, operum ipsius, quorum studio tenebitur, consideratio habenda est, quae et ipsa notitia illius parit certam omnino et infallibilem. Quinto, arma eiusdem nouisse conuenit, quibus ille ad regni et potestatis suae acquisitionem, propagationem, defensionem & tutelam tanto cum successu pugnabit. Sexto, quousque impij huius Imperij terminos extendi oporteat, in quos etiam hominum tantum illi sit permissurus Dominus noster & Rex inuictissimus Iesus Christus, qui tandem iusto suo iudicio ferocem hunc & superbum hostem unam cum omnibus membris suis occisum delebit, & irrevocabili sententia



## Homilia

inextinguibilis ignis supplicio adiudicatum puniet. Quibus postea cōclusionis loco ex Christi uerbis fidelis proferetur admonitio, ut nimirum huius sæuente tyrannide pij & fideles se gerere debeant. Et hæc quidem omnia, diuino sic fauente numine, ea qua possumus perspicuitate & diligentia, tractare instituemus.

I. **Logus et  
sedes Antij  
Christi.**

Atqui quod primam quæstionem de Antichristi origine loci ortus sui attinet, sufficienter & perfecte per Danielē prophetam instituit nos sanctus spiritus, qui paruum illud cornu, per quod Antichristū figurari in præcedenti Homilia audiimus, è quarta bestia, è capite nimirum illius, unde ferè cornua enasci solent, prodijisse dicit. Porrò, cum quarta hæc bestia (ut nuper abunde satis demonstratum est) quartæ Monarchiæ, id est, Romani Imperij typus fuerit, consequens est, imò infallibili spiritus sancti demonstratione constat, Antichristum è Romano Imperio, èq; capite illius, nempe principali urbe ROMA oriundum fore, ibiq; quæri debere. Quò et illud aliqua ex parte referendum est, quod Paulus Apostolus de defectione scribit, & quod sedem illius in Templo Dei collocandam esse docet. Id enim de Hierosolymitano illo templo nequaquam exponi potest, sed de fidelium communione & ecclesia (quæ uerum atq; uiuum Dei templum est) debet intelligi. Ne tamen hic aliquid dubitare posset nostri ingenij tarditas, ipse Dominus noster Iesus Christus Antichristi ortum euidentius adhuc & clarius in ipsa urbe Roma nobis ceu digito monstrat. In ea enim Reuelatione, quam dilecto suo discipulo Ioanni exhibuit, meretricis imagine adumbratur magnus ille Christi aduersarius, quæ sedeat super aquas multas, & bestia uehatur immani & incognita, quæ septem capitibus formidabilis, et decem cornibus armata sæuiat. Angelus autē imaginis mysterium Ioanni apostolo



apostolo interpretari uolens, aquas ubi mulier sedet populos esse dicit, & turbas, & gentes, et linguas, quibus illa imperiet. Ipsa autē (inquit) mulier, quam uidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ, & septem capita sunt septem montes, super quos illa sita est. Quis uero in his apertā & euidētem urbem Romæ descriptionem non uideat? Hæc enim, si ueterem mœniorum ambitum consideres, septem intra se montes, ueterum quoq; scriptorum monumentis celebres, completur, quorum & hodie extant & uestigia & nomina. Eadem quoq; imperante Domitiano Cæsare ( cuius temporibus Ioannes apostolus ob Christi fidem in Pathmon insulam relegatus Reuelationem hanc accepit à Domino ) regnum & imperium super reges terræ obtinuit. Tunc enim temporis Romanorum uirtus maximam orbis terrarū partem armis suis debellatam suæ ditioni et imperio subiecerat. Antichristum ergo ex Romano imperio oriundum esse, sedemq; suam in ipsius capite, urbe Roma nimirum collocaturum, certissimis rationibus & argumentis constat. Quin & illud addo liberēq; ore simul & animo profiteor, Summum illum & Maximum Pontificem, qui in urbe Roma residens sibi eiusdē urbis dominium nomenq; uendicat, uerum & Magnum Antichristum esse, & excellentem Christi saluatoris aduersarium: quod ipsum in ijs quæ sequuntur densiori argumentorum acie euidentissime demonstrabimus. Errant ergo & falluntur quā maxime, quotquot Pontificijs illis falsisq; commentis fidem adhibentes Antichristum illum uerum uel in Babyloniorum uel Hierosolymorum urbe quærere instituunt. Errant item & non minus quā priores illi falluntur, quotquot cæco & stulto eius imperij, quod hodie sanctum Romanum imperium dici consueuit, amore correpti, Mahometem Turcicæ fidei & religionis authorem magnum



## Homilia

illum Saluatoris nostri aduersarium & Antichristum esse clamitant, ut nimirum hoc modo infamem Antichristiani nominis notam à suo illo, quod tantopere admirantur & colunt, imperio depellant. Quamuis enim Mahometem hominem impiissimum, Christi Domini nostri singularem hostem, ecclesiae item Christi persecutorem acerrimum, abominationem totis animi uiribus detestandam, & plurimorum hominum seductorem perniciosissimum esse, nemini dubium sit uere fidelium: eundem tamen insignè illum magnūq; ANTICHRISTVM esse nunquam probare poterimus: cum is nec in Romani imperij capite, nempe ROMA, sed in Arabia procul ab hac exortus sit: nec in Dei templo, ecclesia uidelicet, inter eos qui Christi nomine censerì gaudent, sedem suam collocarit & occupet, sed manifesta ab his defectione facta, Christi nomen tanto cum odio & impietate proscindat, ut hoc ad suae religionis professionem nullo modo usurpet: quae tamen omnia Magno illi Antichristo prophetarum simul & apostolorum oraculis aperte tribuuntur. Nullis ergo hic assentatorum & adulatorum palpationibus ac blandimentis opus est: quin potius, si Antichristi notitiam consequi uelimus certam & infallibilem, eo in loco eum quaeramus oportet, ubi uersari consueuit, Romae nimirum, de qua maiores quoq; nostri olim uulgari ac trito pro uerbo non sine diuinæ prouidentiae instinctu tradiderunt, eò longius à Christiana fide & religione distare hominè, quò propius ad urbem Romam accesserit. Cuius dicti sensum licet illi minus expendierint, est tamen uerissimus. Quò propiores enim Antichristo sumus, eò remotiores simus oportet à Christo Iesu, cui nos soli indiuulsa fide adherere decebat. Et haec quidem de eo, quod primo loco proposuimus, dicta sufficiant.

Nunc itaq; ad secundam quaestionem nobis transeundum erit,

II. Antichristi ortus & successus.



erit, ut nimirum quibus medijs atq; rationibus suum illud tam amplum & potens imperium Antichristus occupaturus sit, inquiramus. Sed & hoc ipsum ex Danielis prophetae & Pauli Apostoli oraculis cognoscemus, quibus consyderatis Romanum Pontificem & eiusdem imperium atq; tyrannidē cum illis conferemus, ut inde nobis constet, num is sit, quem illi suis scriptis prodiderunt. DANIEL itaq; quartā illam bestiam decem cornua habuisse tradit, & se cornua considerante, paruum illud cornu, quo Antichristum figurari docuimus, enatum esse, quod tribus ex prioribus cornibus deiectis, illorum locum occupauerit. Horum uero interpres angelus decem cornibus decem reges repraesentari docet, qui in quarto illo, id est, Romano imperio exoriturus sint: istis uero exurgentibus Antichristum quoque proditurum, qui inter prima sui regni initia tres reges oppressurus sit, & illorum uiribus opibusq; quas sibi uendicabit, regnum suum confirmaturus. His quae apud Paulum extant omni ex parte conueniunt, qui defectionem prius uenturam dicit, & tunc reuelandum fore hominē peccati & perditionis filium. Et paulò post idem omnino innuit, dicens: Nam & nunc mysterium operatur iniquitatis: idq; solum [ restat ] donec qui nunc detinet eum, è medio tollatur: et tunc patefiet iniquus ille, &c. Quae apostoli uerba uetustissimi ac orthodoxi ecclesiae doctores de Romano imperio intelligenda esse dixerunt, quod nimirum illo sublato Antichristus oriturus sit, qui nunc illius detineatur potentia. Nec enim Antichristus Romanae urbis dominium sibi uendicare, nec in ea regnare potuisset, Romano adhuc florente atque uigente imperio. Quare & Daniel propheta Romanum imperium in decem, id est, plura regna scindendum esse tradit, & Paulus defectionis meminit, qua nimirum gentes



## Homilia

¶ populi multi à Romano imperio deficientes proprios reges  
¶ principes sint creaturi. Tunc Romano imperio per huiusmo-  
di scismata & defectiones nutante, Antichristo locum & occa-  
sionem fore ad suum illud erumpendi imperium. Legantur  
hic quæ D. Hieronymus ad Algasiam, Augustinus item libro  
de Ciuitate Dei 20. cap. 19. prodidère, tum quæ ante hos Ter-  
tullianus de Carnis resurrectione tradidit, & me nullum huic  
loco nouum & alienum sensum obtrudere, patebit. Vt uero  
hæc iuxta scripturæ oracula euenerint, & per Romanos Pon-  
tifices uere impleta sint, nunc ex fide dignissimis & probatis  
tam Græcorum quàm Latinorū Historicis demonstrabimus.

De Pontifi-  
cū Rom. pri-  
mordijs &  
succellu hie  
storia.

Vbi post graues & horrendas ecclesiæ Christi persecutio-  
nes, quas Romanorum imperatores immanissimi contra hanc  
concitarant, Romani imperij administratio ad Constantinum  
Magnum, Helenæ filium, peruenit, is cum pacem diu optatam  
Christi fidelibus concessisset, anno imperij sui uigesimo quinto,  
quî ferè trecentessimus trigessimus sextus à Christi Saluatoris  
nostri natali numerabatur, Bizantium urbem, quam multis re-  
galibus ædificijs extructam ornatamq; à suo nomine Constans-  
tinopolim denominarat, imperij sedem constituit. Quæ res pri-  
mam Romani imperij diuisionem, & paulò post uerum quoque  
scisma peperit. Summus enim imperator orbisq; Monarcha  
Constantinopoli regnans, Orientis Rex uel Imperator diceba-  
tur. Huic uero additum collegam Cæsarem, qui Romæ rebus  
præsidebat, Occidentis imperatorem dicebāt. Durauit autem  
prima hæc imperij diuisio ad Valentiniani usq; tertij tempora  
annis circiter centum & uiginti, nempe usq; ad annum à nata-  
li Domini 456. Interea temporis uero cœperūt gentes aliquot  
res nouas moliri, & contra Romanum imperium insurgendo  
libertatem suam asserere, unde mox defectio illa uenit, quam  
apud



apud Daniele[m] et Paulum Apostolum legimus. Exortæ enim sunt bellacissimæ Vandalorū, Gotthorum, Francorum, Langobardorum & Herulorum gentes, unā cum multis alijs, quī ubi proprios ex suis reges creauerunt, contra Occidentis imperatores armis sumptis rebellarunt. Vbi uero Valentinianus eius nominis tertius Romæ à suis occisus uitam simul & imperium Occidentis finiuit, Maximus quidā Romanus ciuis Eudoxiam Valentiniani uxorem inuitam sibi iunxit. Mox autem adest ex Aphrica euocatus Vandalorum rex Genserychus, urbem Romam inuadit, & Maximo tyranno cæso, discerpto & in Tyberim proiecto, Eudoxiā Valentiniani Cæsaris coniugem in Aphricam transuehit. Post quem plures Romanum inuasere imperium: uerum nullius fuit stabile & diuturnum regnum, cum alter alterum obruncaret, ut latrocinii uerius quam regnum dici mereretur. Vltimus horū Augustulus fuit, infelicitis ominis nomen sortitus, qui cum & ipse Occidentis imperium arripuisset, in Italiam multo & instructiss. è Germanorum populis collecto exercitu Odoacer Herulorū rex penetrat. Huic ad Ticinum Orestes Augustuli pater occurrens, memorabili pugna uictus & cæsus est. Quare Augustulus purpura & imperiali dignitate præ metu abiecta, Roma fugiens discedit. Odoacer totam Italiam occupat, urbem uictor intrat, & mutato nomine Odoacriam à se denominauit. Et sic quidem Romanum imperium, cuius potestas Antichristum (ut Paulus inquit) quò minus erumpere posset, detinuerat, in uniuersum sublatum & oppressum defecit, circa annum uidelicet à nato Christo saluatore 471. Odoacer enim in urbe Roma sui regni sedem constituens, in eadem annis regnauit quatuordecim, idq; tanta cum potentia tantisq; uiribus, ut nullis Zenonis, Constantinopolitani imperatoris, uel consilijs uel



## Homilia

armis eijci potuerit. Aliquot tamen euolutis annis, nempe cum à Christi Iesu natali anni numerarentur 570. nouum magistratum in Italia Iustinianus imperator instituit, quem Exarchum dixere. Verum is in auennæ uersabatur, non Romæ, eò quod illa Barbarorum irruptionibus miserè uastata & direpta iacebat.

De primatu  
ecclesiarum  
contentio.

Porro dum hoc modo Occidentis in urbe Roma deficit & deletur imperiū, mox paruum illud, quod apud Daniele est, corniculum, Romanus nimirum Pontifex sese exerere & Antichristi mysterium operari cœpit. Odoacro enim in urbe Roma regnante Anno Domini 480. Achatius Constantinopolitane ecclesie episcopus Simplicio Romanæ urbis episcopo scribens petijt, ut & ipse Petrum Alexandrinū episcopum Euticetis imitatore hæreseos damnaret, utpote primariæ ecclesie episcopus, cuius quàm maxime apud omnes ualeret autoritas. Hinc autē occasione arrepta, ambitiosuli quidam mox de Romanæ ecclesie dignitate & Romani episcopi autoritate disputare cœperunt, & eousq; progressi sunt; ut Romanam sedem omnium ecclesiarum primam, & Romanum episcopum omnium antistitum caput adcoq; Catholicū seu Vniuersalem præsulē esse contenderent. Horum ambitioni uero sese opposuerunt, qui Achatium subsequuti sunt, Constantinopolitane ecclesie episcopi. Hi enim suæ ecclesie primatum deberi contendebant, cum Constantinopolim sui imperij sedem Romani imperatores fecissent. Vnde & Constantinopolitano episcopo illum honorē tribui debere, ut is nimirū Catholicus omnium præsulū & episcoporum antistes dicatur. Orta autē inter ecclesiarum præsules hæc tam indigna & ambitionis plena cōtentio, longo tempore agitata est, per annos nimirū centū ac duodecim, do-

nec



nec maioribus tandē uiribus erumpens, paruum illud adhuc  
& infirmum Antichristi cornu non modicum prouexit.

Cum enim anni à nato Christo Salvatore numerarentur  
600. Constantinopolitanæ ecclesiæ antistes Ioannes quidam  
erat, homo insigni arrogantia & ambitione tumens. Hic Mau-  
ritio imperante Græcorum episcopos Constantinopolim ad  
Synodum celebrandum conuocauit: in qua decretum ac con-  
stitutum fuit, ut Constantinopolitanus antistes Oecumeni-  
cus uel uniuersalis omnium ecclesiarum Episcopus diceretur.  
Cumq; Mauritius imperator Synodi decretū Romano præ-  
suli Gregorio ( qui postea Magnus dictus est) transmittens ab  
eodem impetrare conaretur, ut & ipse Ioanni Constantino-  
politano episcopo se & ecclesiam suam subijceret, magno co-  
natu & singulari constantia se illi Gregorius opposuit: non  
equidem quod se Ioanne superiorem atque excellentiorem iu-  
dicaret, sed quod insolentem illum clericorum fastum, qui  
tunc succrescere incipiebat, & superbam ambitionem quam  
maxime abominaretur. Vnde inter alia quædam Mauritio  
Imperatori, Antichristi præcursor est (inquit) quisquis appella-  
lari cupit uniuersalis episcopus. Et alibi idem ille ad Anasta-  
sum Antiochiæ & Eulogium Alexandria episcopos contra  
ambitionem Constantinopolitani episcopi scribens, sic ait: No-  
uit ueneranda sanctitas uestra, per sanctam Chalcedonensem  
Synodum Pontifici sedis apostolicæ, cui Deo disponente ser-  
uio, hoc Vniuersitatis nomen oblatū esse: sed nullus decessorū  
meorū, hoc tā PROPHANO uocabulo uti cōsensit. Quia  
uidelicet si unus patriarcha uniuersalis dicitur, Patriarcharū  
nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à Christiana mēte, id  
sibi uelle quempia arripere, unde fratrū suorum honorē immi-  
nuere ex quantulacūq; parte uideatur. Et hæc quidē Gregorij

Contentio  
inter Græ-  
corum Ma-  
gnum et  
Joan. Con-  
stantinopo-  
litane ecclie  
antisitem



## Homilia

Papæ uerba sunt, quibus superbos illos & ambitiosos Pontificum titulos tam grauius incesit & ceu prophanos abominatur et reijcit, quos illi hodie armis & sæuis quibusuis conatibus sibi uendicare conantur. Quamuis uero hæc pio zelo & sincera mente scripserit Gregorius, simulq; ut episcoporum ambitiosos spiritus coërceret, primus se Seruum seruorum (ut quidam aiunt) nominarit: mox tam omnium horum eiusdem successores obliti diuersa studia sectati sunt.

Nam cum arrogantissimum illud ambitionis mancipium, Ioannes Constantinopolitane ecclesie episcopus, post Gregorij obitum à cæptis non modo non abstineret, quin potius summo studio superbum illum Oecumenici titulum & totius ecclesie primatum sibi uendicare conaretur, mox Romæ quoq; Bonifacius, eius nominis tertius, exortus est, qui cum pari insolentia & ambitione inflatus esset, illi sese opponens eundem titulum & summæ potestatis honorem in se & Romanam ecclesiam transferre tentauit. Cumq; semel susceptum contentio nis & ambitionis studium pertinaciter urgeret, non ante destitit, donec ab imperatore Phoca impetraret, ut Roma omnium ecclesiarum caput diceretur. Vbi quis nam Phocas ille fuerit probe notandum erit, fratres in Christo dilecti. Is nimirum, qui proditione & latrocinio imperium occupauit. Nam Mauricium Imperatorē, uirum bonum & pium, tum eiusdem coniugem atq; liberos per seditionem cæpit: & ipso spectante primo quidem coniugem, deinde uero liberos omnes nefario ausu occidit, postremo ipsum quoq; imperatorem multa senectute grauem (ut qui sexagesimum tertium annum iam excefferat) trucidauit. Hic inquam Romanum Pontificem ecclesie caput primus constituit, & diu optatam tyrannidem ambitiosis illis & insolentibus Romanæ urbis episcopis cōcessit. Habent ergo de quo

Phocas Romanam, ecclesiarum caput, constituit.



de quo egregie, si Dijs placet, gloriari possint patres illi sanctissimi, quod nimirum eo authore huc dignitatis & potentiae euecti sunt, qui ut animum gessit proditione & perfidia infectum, ita manus quoque suas Mauritiij Imperatoris sanguine contaminare non est ueritus. Sed quales futuri essent hoc argumento monstrare uoluit Dominus, quod nimirum fundatoris sui diligentissimi sectatores insidijs, proditione & latrocinijs Imperatorum pios & sanctos conatus remoraturi essent: quod ipsum paulo post euidentiori probatione demonstrabimus.

Enatum ergo iam erat paruum illud, quod apud Danielem Antichristi typus est, cornu, & ecclesiae caput superbo admodum & splendido titulo dicebatur: nondum tamen ijs pollebat uiribus, nec ea ualebat potentia, quam tantae rei conatus necessario requirebat. Nam cum Pontifices à clero populoque Romano electos, uel ab ipso Imperatore, uel ab eiusdem uicario, Exarcho Rauennati, confirmari oporteret, nihil uirium contra Romanos Imperatores obtinere poterant ab iisdem confirmati Pontifices, & proinde nihil etiam quod Imperatorum uel potentiae uel honori aliqua ex parte derogaret, conari audebant. Non igitur ante sibi quiescendum esse putauerunt Pontifices, donec circa annum nati Seruatoris sexcentimum septuagesimum eò res perducta est, ut Constantinus eius nominis quartus Imperator Pontificem Benedictum Secundum hoc priuilegio donauit, ut quencunque posthac clerus populusque Romanus Pontificem creauisset, idem etiam ab omnibus ecclesiae caput & Christi Saluatoris uicarius agnosceretur, nulla quoque uel ipsius Imperatoris uel uicarij ipsius Rauennatis Exarchi confirmatione intercedente. Mox uero, ut hoc impetrarunt superbi & ambia

Ab imperatoribus olim confirmati Pont.



## Homilia

tiōsi Romanæ ecclesiæ episcopi, res ex sententiâ succedere cœperunt, & hinc tantum uirium, roboris atq; authoritatis paruo illi cornu, quod hæctenus uile, infirmum & contemptibile omnibus uidebatur, accessit, ut postea ipsis quoq; imperatoribus, quorum consilijs atq; auxilijs euectum erat, intolerabile factū, cōtra hos ipsos quoq; non sine successu pugnarit. Nec defuerūt ea tempestate signa & prodigia, quibus cœlestis ille pater miseros mortales de periculis per Antichristum inferendis fidelissime admonuit. Nam uel ipso Platina (quem Pontificū non scriptorem modo, sed & præconem fidum esse constat) teste, dirus & insolitus Cometa apparuit, & ex Vesuuio Campaniæ monte tantus ignis erupit, ut loca circumquaq; posita exusta sint. His nimirum cœlestis ille & fidelis pater omnibus monstrare uoluit, Antichristi ignem in Italia iam ardere cœpisse, qui multorum hominum conscientias graui incendio consumpturus & turbaturus esset. Ut primum enim eò potentia euectus fuit Romanus Pontifex, uix annis exactis quadraginta, uires suas & authoritatem omnem contra ipsos imperatores, non sine graui illorum damno atq; periculo proferre cœpit.

Lis de imaginibus in ecclesia non habendis.

Anno enim à nato Christo Salvatore 712. Philippicus imperator Monothelitarum, unicam in Christo Iesu uoluntatem asserentium, hæresi infectus est. Quare Constantinus Papa eundē excommunicationis fulmine ferit, simulq; & hoc decernit & statuit, ut sanctorum patrum imagines, qui sex primis ac generalibus Synodis interfuerant, in Diui Petri porticu depingantur. Nouam uero hæc res contentionem & nouas turbas peperit, unde Pontifici quoque occasio data est, qua tria hæc (quorum mentio apud Danielem facta est) cornua, siue regna, deicere & euertere potuit. Pontificio enim decreto acerrimis animis



animis sese opponebant Græcorum ecclesiarum antistites, quæ cum Deum proprio ore omnem imaginum usum in templis tam seuerò & diserto mandato prohibuisse uiderent, nullas omnino in Christianorum templis imagines habendas uel ferendas esse contendebant. Sed cum plerique ipsorum Monothelitarum hæresim sectarentur, in hac quoque pia & sancta licet de imaginibus abolendis sententia, uicti succubuerunt, & Pontificis auctoritate imaginum usus confirmatus ecclesiæ nouam superstitionis partem intulit.

Porro quatuor inde annis euolutis, cum nimirum à Christo saluatore anni numerarentur 716. Leo Imperator eius nominis tertius regnare cœpit, qui cum diuinæ legis cognitione instructus esset, per omnes imperij fines in templis prostantes imagines aboleri & tolli curauit, literisque ad Gregorium secundum, Romanum Pontificem, missis ut ipse quoque idem faceret præcepit. Hic uero contentio & pugna exarsit grauisissima. Papa enim, pater ille sanctissimus, Domini præcepta, quibus ille imagines damnat & prohibet, tanto studio & diligentia (si dijs placet) imbiberat, ut Leonem imperatorem impium *ἰκονομάχον*, inuidioso admodum nomine appellare ausus fuerit: quin tanta illi apud Italiæ populos inuidia grauat, tamque inuisum omnibus reddit, ut quidam imperatorem alium eligere conarentur. Et licet horum conatus, qui nec ipsi Gregorio Papæ probari poterat (nec enim aliquem imperatorem in Italia regnare patitur pontificum ambitio, qui ipsi rerum omnium dominium affectant) non succederet, ingens tamen Rauennæ populi seditio orta est, in qua Paulus Exarchus imperatoris uicarius unà cum filio à seditiosa uulgi multitudine cæsus occubuit. Cum uero Leonis animum clades ista mouere non posset, quin suum illud institutum constantissime urgeret, tandem



## Homilia

Imperator  
res Græci  
Italia pulsi.

à Gregorio Papa, eius nominis tertio, anathemate percussus & ecclesie cōmunionē & imperio priuatus est. Adhæc cū Exarchum alium Rauennā mittere instituisset, qui Italiae res administraret, huic quoq; conatui Papa sese opponens quò minus id posset Langobardorū opera prohibuit, quos ille contra imperatorem in suas partes pertraxerat. Hi enim Rauennā forti manu obsident, oppugnant & tandem capiunt, simulq; imperatorem omni iurisdictione Italica priuant. Vbi iam primum illud cornu deiectū esse uidemus. Imperatoris enim omnis, quæ in Italia hæctenus tenuerat, potestas, Pontificis instinctu per Langobardorū arma oppressa, adeoq; ipse imperator tota Italia eiectus est.

Ad Gallos  
translata ec-  
clesiæ tu-  
rela.

Vt primū uero hæc gesta sunt, mox noui motus alias quoq; turbas & contentiones pepererunt, per quas reliqua quoq; duo cornua deiiciendi & sui imperij fines propagandi occasio Romanis pontificibus oblata est. Luitprandus enim Langobardorum rex, regnandi cupidine et ambitione flagrans, eam Italiae partē, quæ Constantinopolitanis imperatoribus ante subiecta fuerat, inuito quoq; Papa sibi suoq; regno uendicabat. Vnde eò tandem deuentum est, ut finitimis urbibus circumqua; captis, ipsam quoq; Romanā urbē obsidione premens Papæ suisq; molestissimus esset. Hic uero Gregorius Papa, non uti antehac Romani Pontifices consueuerant, à Constantinopolitano imperatore contra hostes suos auxilia & defensionē petijt, uti pote quem paulò ante ob imagines templis eiectas excōmunicarat: sed legatis ad Carolum Martellum regiæ domus in Galilijs præfectum missis, illum rogauit, ut primo quoq; tempore laboranti Romæ & ecclesie succurreret. Nec spreuit Pontificis preces Carolus: quin Luitprandū regem amicum & com patrem suum amica exhortatione ab urbis obsidione retrahens Pontificem



Pontificem simul et Romanos omnes graui periculo liberauit. Et tunc quidem ecclesie tutela primū ab imperatoribus Græcis ad Francorum uel Gallorū principes nouo & insolito ante Pontificis ausu translata est.

Tam gratum uero Romano Pontifici fuit hoc Caroli Martelli officium, ut maxima inde ad posteros quoque ipsius per Pontifices redierit utilitas. Cum enim Franci ex antiqua regū stirpe reges habere consueuissent, regum postremorum ignauia factum est, ut regis quidem nomen & regni decus & insignia ab ipsis usurparentur: opes uero & omnis regni potentia penes aulae præfectos, quos illi Maiores domus uocabant, essent, sic ut illi quæcunque uel domi uel foris agenda erant, administrarent. Carolo autem Martello defuncto eò dignitatis & potestatis filius ipsius Pipinus subuectus est: qui cum superbia & ambitio-  
 ne totus agitaretur, tandem in regem quoque suum, Chilperichū nomine, perfidus contra ipsum consilia mouere & regnū totū affectare cœpit. Cumque uaria super hac re consilia nunc cum aulae regnique proceribus, mox cū ipsis quoque episcopis uoluisset, tandem ad omnium ecclesiarum caput, Romanam nimirum, rem tantam referendam esse censuit. Sperabat autem astuti & calidi ingenij homo Romanos Pontifices paterni beneficij memores, gratos quoque & sententiam contra regem pro se laturos fore. Mittuntur ergo ad Zachariā Romanæ ecclesie præfulem legati, Burchardus Herbipolensis episcopus & Folradus Abbas. Summa uero legationis erat huiusmodi: Cum Zacharias eius ecclesie præses sit, quæ omnium ecclesiarū caput dici meruerit, pro sua autoritate decernat, Vter regio fastigio dignior sit habendus, an qui nomine modo rex sit, consilio autē & opera nihil præstare possit, an qui solus omne regni onus sustineat? Sensit quæstionem astutam Zacharias Pontifex, & pa-  
 Pont. Gal-  
 liz reges  
 deiicit.



## Homilia

aeterni beneficij memor, Pipinum, cuius humeris omnes regni labores incumbant, regia potestate Chilpericho digniorem esse disertis uerbis pronuntiat, sic nimirum non patris modo officium compensare, sed sibi quoque et Romanae ecclesiae fidum fortemque patronum et propugnatorum parare uolens. Pontificis ergo sententia ferocior iam factus Pipinus, simulque eandem approbantibus episcopis, et quibusdam ex aula uiris nobilibus, in Suefionum urbe Bonifacii Moguntini archiepiscopi opera coronatus regnum sibi uendicat. Mox uero Chilperichum regem et dominum, simplicis quidem, sed minime mali ingenij hominem, regia potestate et dignitate deiecit, et deiectum monasterio, ut monasticam uitam agat, includit. Cum uero tantam iniuriam passus rex fidem imploraret publicam, nec etiam deessent uiri boni et aequitatis amantes, quibus tam iniquus Pipini conatus quam maxime displicebat, simulque Pipinum, tanta iam perfidia insignem, recipere nollent, propter sacramentum uidelicet Chilpericho regi praestitum: en denuo Zacharias Papa adest, et prioribus nepharijs ausis nunc aliud aequae aut certe magis indignum addit. Ne enim iuste a Francis regem possent, quem ipse summa iniustitia regem fecerat, et Pipinum et totum regnum a iuramento et fide Chilpericho regi data absoluit, et omnibus ut Pipinum regem suum agnoscant ipsique obtemperent, praecipit. Et haec quidem facta legimus circa annum nati Saluatoris 753. Quis uero hic secundum quoque cornu Pontificis iniquitate deiectum esse non uideat? Qui enim regio semine natus et legitime electus haecenus Francis praefuit, regno exiit: et huic surrogatur, qui nec regio natus semine, nec legitime rex factus fuerat, sed Romano Pontifici ad omnia idoneus ipsius res studiose agebat: cuius opera et beneficio postea tertium quoque cornu deiectum esse audiemus.

Cum enim Langobardi, quos paulo ante Italiae imperium affecta-



affectauisse diximus, ab inceptis nequaquam desisterent, quin po-  
 tius sub Aistulpho rege Papæ sese opposcentes Romanorum  
 agros & fines bellis assiduis uexarent, nec Romani potentissi-  
 mo hosti resistere possent, Stephanus Papa extrema tandē ne-  
 cessitate cōpulsus in Gallias ad Pipinū cōfugit, ab illo suppli-  
 citer petens ut Romanæ ecclesiæ laboranti suppetias ferret, et  
 ex Langobardorum tyrannide assertam libertati paciq; pristi-  
 næ restitueret. Pipinus uero beneficij à Zacharia Pontifice  
 antea accepti haudquaquam immemor, Stephani Papæ petitio-  
 nem approbavit, & auxiliū cōtra hostē pollicitus, mox collecta  
 ualida Francorum manu unā cum Stephano Papa alpes su-  
 perat, & ad ipsas montium fauces occurrentibus sibi Langob-  
 bardis prælio cōgressus uictoria potitur ac perrumpit, regēq;  
 illorū Aistulphū Papiæ inclusum graui obsidione premit, tan-  
 dēq; eas cōditiones ui & armis extorquet, ut Romanæ ecclesiæ  
 pacē & obsequium pollicitus quadraginta quoq; obsides in rei  
 cōfirmationē ad Pipinum trāsmitteret. Quare Pipinus quidē  
 ipse in Galliā reuertitur, Stephanū uero Papā cum Folrado  
 sacellano regio et ualido Francorum exercitu Romam mittit.  
 Gesta hæc sunt anno post natum mundi saluatorem 755.

Cæterū Aistulpho Langobardorū rege nihil eorum, quæ Pi-  
 pini armis coactus Stephano Pontifici pollicitus fuerat & iu-  
 reirando firmauerat, præstante: Pipinus sequenti mox anno  
 rursum maximis Francorum copijs, ut Pontificē à Langobar-  
 dorum armis uindicaret, Italiā ingressus est. Vt primum uero  
 superatis alpibus in Italiam descendit, Constantini quarti  
 imperatoris protosecretarius Gregorius cum alijs imperatorijs  
 legatis ipsi obuiā factus, hominē imperatoris nomine admonet,  
 ne Rauennatē Exarchatū (quē Langobardi imperatore à Sar-  
 racenis impedito occupauerāt) uel sibi uendicare, uel Pōtifici



## Homilia

aut Romanis dedere institueret, sed **QVIA IMPERII**  
**ESSENT, NON PONTIFICIS**, Cōstantino resu-  
tuenda curaret. Hic negare se Pipinus Cōstantino aut cuiquā  
hominū prāterquā Romanæ ecclesiæ militare, eōq; consilio se  
arma induisse testari, ut apostolicā sedem ab omniū mortalium  
iniuria uindicaret, unde illius quoq; cōmodis quoad eius fieri  
queat esse consulturū. Simulq; ut primū uictoria potitus Langobardorum uires oppressit, Rauennatem Exarchatū, & que-  
cunq; alia Italiæ loca imperatori & imperio antehac subiecta  
fuerant, Romanæ sedi donauit. Vnde factū est, ut imperator  
Græcus, antea quidē Langobardorū armis Italia pulsus, recu-  
perandi uero iure & iustæ possessionis titulo nondū spoliatus,  
nunc his quoq; in uniuersum amissis, totāq; Italia eiectus, om-  
ne, quod in hac tenuerat, imperiū amiserit. Nec etiam iniquis  
Pontificū conatibus resistere, nec illatas sibi iniurias ulcisci po-  
tuit Sarracenorum armis impeditus, qui assiduus bellorum in-  
ursionibus Orientis imperiū uexabant. Et sanè eam uidere est  
Pontificum astutiā, qua tunc temporis maxime rebus suis con-  
suluerunt semper, quando imperatores aliosq; sibi aduersos re-  
ges alijs bellis occupatos uidere, sic ut ipsorū conatibus minus  
resistere possent. Pipinus autē amplissimis hisce beneficijs suis  
in Romanos Pontifices collatis, augustum **CHRISTIA-**  
**NISSIMI** regis titulū tam sibi quā successoribus suis me-  
ruit: quo uel hodie Francorum reges superbiunt, hanc unā ob-  
causam nimirum, quod quæ ad imperatorē in Italia pertine-  
runt loca ex Langobardorū manibus asserta, non ut par erat  
imperatoribus restituerunt, sed Romanæ donarunt ecclesiæ.  
Neq; tamen omnibus hisce Pontificum ambitioni & auari-  
tiæ satisfactum est, quoad Langobardorū gentem, cuius uires  
tunc temporis in Italia maximæ erant, non per omnia oppres-  
sam &

Langobar-  
dorum re-  
gnum op-  
primit Pon-  
tifex.

Neq; tamen omnibus hisce Pontificum ambitioni & auari-  
tiæ satisfactum est, quoad Langobardorū gentem, cuius uires  
tunc temporis in Italia maximæ erant, non per omnia oppres-  
sam &



sam & extinctam uiderunt. Quare cum ultimus quoq; horum  
 Rex Desiderius in Adrianū Papam eius nominis primum alia  
 quid moliri cœpisset, mox hic etiam Carolum Pipini filiū (qui  
 postea ex rebus præclare gestis Magni nomen accepit) pro de-  
 fensione apostolicæ sedis implorauit. Et facile quidem quod uo-  
 lebat, impetrauit. Mox enim cum exercitu in Italiam penetrat  
 Carolus, Desiderium cum Langobardorū copijs sibi occurren-  
 tem acri prælio fundit, oppida illorum omnia in deditiōe ac-  
 cipit, ipsum uero regem captum unā cum uxore atq; liberis in  
 Galliam exulatum relegat. Et sic quidem Langobardorum  
 regnum, quod annis plus ducentis in Italia obtinuerāt, in uni-  
 uersum deletum, & proinde tertium quoq; cornu Antichristi  
 dolis atq; uiribus excussum est: anno nimirum à partu uirginis  
 776. Carolus uero Pipini filius & Francorum rex, postquam  
 hæc gesta sunt, fœdus cum Romanis Pontificibus perpetuum  
 iniit, simulq; quod pater Pipinus antea Stephano Secundo ex  
 imperatori ereptis terris donarat, id ipsum amplioribus priuile-  
 gijs & iureiurando interposito confirmauit.

Hactenus ergo clara & euidenti expositione demonstratū  
 est, fratres in Christo dilecti, uetera quæ apud Danielelem ex-  
 tant, spiritus sancti oracula per Romanos Pontifices uerissime  
 impleta, & Romanum Pontificem paruum illud cornu esse,  
 quod Antichristi imperium nobis figurat. Qui circa regni  
 sui primordia uilis quidem & contemptibilis, mox uero tria po-  
 tentissima regna dolis suis & imposturis opprimens, illorum  
 uiribus, quas sibi uendicarat, in tantum regni fastigium subue-  
 ctus est. Restat nunc fratres charissimi, ut quibus artibus  
 uires & potentiam suam ita confirmarit auxeritq; , ut ipsis  
 quoque imperatoribus superior factus sit, ex ipsorum historijs  
 consideremus.



## Homilia

Imperij ad  
Francos  
translatio.

Romanis ergo Pontificibus Græcorum Imperatorum res ob multiuarias, quas ipsis intulerāt, iniurias & iniquissimas damna non immerito timentibus: ne forte Sarracenis & alijs in Oriente hostibus perdomitis ocioq; concesso Italiam adorti Rauenatē Exarchatum cum alijs ad Imperium pertinentibus locis, quæ Pipinus & Carolus ipsis erepta Romanæ ecclesiæ legarant, denuo sibi uendicare conarentur: mox in hoc sua studia intendere cœperunt homines astutissimi, ut omnem quæ adhuc reliqua erat in Occidente Imperij potestatem atq; ires Græcorū Imperatoribus eripere, et ab his aliō transferre, eosq; Imperatores nācisci possent, quorū uires ipsis minus metuendæ essent, quorumq; authoritate & Imperio ab hostiū inſidijs atq; conatibus defenderentur. Quapropter Leo tertius Papa, amplissimis à Carolo Magno beneficijs ornatus, cum eiusdem infractum animi robur, fortitudinem insignem, uictoriarum lætissimos successus, simulq; propensum erga Romanam ecclesiā, eiusq; antistites animum perspectū haberet, facinus hoc ingens, & quo nullum maius atq; periculosius à maioribus suis patratum fuerat, nempe Imperij translationem, ausus est aggredi. Porrò ut sui incepti fautores plurimos haberet, faciliusq; quod uolebat efficeret, multū diuq; apud populum clericumq; Romanū de Imperij uiribus collapsis et Græcorum Imperatorum incōmoditate conquestus est. Hos enim tantis locorum spacijs distantes miseræ multisq; modis afflictæ Italiæ nullo modo subuenire posse dicebat, maxime, cum nouis indies ijsq; grauiſsimis bellis uexaretur. Italiæ ergo statum incolumē, pacem atq; libertatem commodius restitui non posse, quàm si nouus in Occidente Imperator electus omnem Imperij dignitatem et eiusdem curā suscipiat. Et mouerunt hæc quidem multorum animos, qui dictorum uerisimilitudine du-



Et Pontificis conatus minus aperte perspiciebant. Potissimum ergo populi partem suae sententiae accedere uident, anno Domini nostri Iesu Christi 803. rem ipsam perficit. Nam in basilica Petri post solennia sacra Populi Romani scito ac precibus, ipsum Carolum magna uoce Imperatorem decernit ac diademate donat, idque ter acclamante Romano populo: CAROLO AVGVSTO à Deo coronato, Magno & pacifico Imperatori Vita & Victoria. Et quamuis haec iniquius ferrent Imperatores Graeci, quò minus tamen fierent, obstare non potuerunt, tum quod bellis uexarentur innumeris, tum etiam quod Hirene Imperatrix filij sui diro parricidio polluta nouas turbas & ingentes negotiorum procellas excitarat: quae nec huius quoque facti inscia fuisse uideri potest, cum illius nuptias ipsa non abnuente Carolus iam Imperator factus ambiuerit. His ergo artibus usi Romani Pontifices Francorum reges propugnatores suos acerrimos & fidelissimos auxiliares mira calliditate & astutia ad Imperij cultum euexerunt, quorum ope postea & auxilio omnibus hostibus suis superiores facti sunt.

Carolo autem magno Imperatori Ludouicus filius successit, qui et ipse Romanis episcopis propter munificentiam charissimus fuit, & proinde ab ipsodem PII nomen accepit. Nec enim maiorum duntaxat suorum, Pipini nimirum aui sui & Caroli patris Donationem confirmauit, sed mirum in modum auxit etiam, ipsam quoque Romanam ciuitatem cum sua iurisdictione omnibusque circa terris, ciuitatibus, portibus ac maritimis locis Heitruiae prioribus addens. Vnde nouis uiribus rursus auctus est Antichristus Pontifex, & antiquae Imperij sedis, Romae nimirum, dominus factus.

Nò ergo est, quod miremur, fratres in Christo dilectissimi, tan

Romã Pon  
tifici donat  
Lud. Pius.



## Homilia

eam excreuisse Romani pontificis dignitatem atque potentiam, ut omnes non Italia modo, uerumetiam Gallia, Germaniae et Hispaniae episcopos sibi obnoxios suaeque sedi subiectos haberent: cum eos defensores atque patronos inuenerint, penes quos nationum istarum omnium administratio et ipsius Imperij potestas fuit.

Imperij ad  
Germanos  
translatio.

Porro, quamuis omnia haec, quae haecenus commemorauimus, indigna admodum, tum etiam iniquitatis et perfidiae plena fuerint, his tamen nondum contenti Romani pontifices magis indigna et iniquiora sibi audenda putarunt: et ut maiori in ocio et quiete sua illa dignitate et potentia frui possent, minime illos puduit eadem perfidia Francos quoque deludere, quae ante in Graecorum Imperatores usi fuerant. Tantum enim principum et populorum amicitiam sibi colendam atque fouendam putarunt, quantum illa ipsorum libidini et ocio inferuire potuit. Quapropter cum Berengarius, qui tunc in Langobardorum terris principatum obinebat, toti Italiae sua potentia molestior esset eamque multis modis affligeret, Franci uero ad Italiae et Romanae ecclesiae defensionem frustra euocati auxilium ferre cessarent, nec maiorum ea in re imitarentur alacritatem, Agapetus Pontifex, et post hunc Ioannes eius nominis XIII. scriptis ad Otthonem (qui tunc Germanorum rex et Saxoniae princeps, postea uero Imperator factus, Magni cognomento ornatus est) literis suppliciter rogauerunt, ut pro amore Dei sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, sanctam Romanam ecclesiam ex Berengarij suorumque complicum fauibus liberaret. Hic uero Pontificum petitionibus morem gefit Ottho princeps fortissimus, aliorum etiam permotus precibus atque literis. Vnde collectis Germanorum copijs in Italiam uenit, Berengarium uictum captumque cum uxore sua et filio Alberto



Alberto Babenbergam in exilium relegauit, omnem Italiam huius metu & tyrānide liberans. Hinc urbem Romam uictor ingressus, à Ioanne Papa honorificentissime susceptus et accepto IMPERII, Germaniæ & Pannoniæ titulo coronatus est. Porro Ioānes hic, cuius arte & cōsilio Imperij translatio facta est, is fuit, qui, ut Itali scriptores testātur, ab ipsa adolescentia omnibus probris ac turpitudine contaminatus, uenationibus magis, si quid tēporis à libidinibus supererat, quàm orationi deditus, Romanam ecclesiam uita sua mire scēdauit, sedemq; illam multis nominibus polluit, tandem uero in nephando adulterij scelere comprehensus & occisus impietatis atq; libidinis suæ dignas pœnas dedit.

Quantum uero uel honoris uel utilitatis ( si dijs placet ) hinc ad Otthonem regem, uirum alioqui optimum fortissimumq; redierit, ex iuramento, quo sese Ioanni Pontifici, libidinis monstro, obstringere coactus est, non obscure intelligi potest. Huius enim formulam posteri Canonibus et decretis suis interseruerūt, hoc modo: Tibi Domino Ioanni Papæ EGO REX OTTHO promittere & iurare facio per patrem, filium & spiritum sanctum, & per lignum hoc uiuificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quod si permittente Domino Romam uenero, sanctam Romanam ecclesiam & te RECTOREM eius exaltabo secundum meum posse, et uitam & membra nunquam, NEQVE IPSVM HONOREM QVEM HABES, mea uoluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes: & in Roma nullum placitum aut nullam ordinationem faciam in omnibus, quæ ad te aut ad Romanos pertinent. Et quicquid de terra S. Petri ad nostram potestatem peruenerit, tibi reddam. Et cuiunque Italicum regimen commiserō, iurare

Iuramētum  
Ottonis.



## Homilia

faciam illum, ut adiutor tui sit ad defendendam terram S. Petri, secundum suum posse. En hoc est celebre illud & egregium Otthonis Imperatoris iusuradum, fratres in Christo dilecti, quod diserte testatur, Otthoni pro amplissimis in Pontificem collatis beneficijs & Italiae totius liberationi, nihil aliud praemij collatum esse, quam quod Pontificis seruitio sese obstringere coactus Babylonici huius scorti impiaeque tyrannidis tutor & defensor factus est. Adhuc ut primum in urbem uenit, Donationi Ludouici Regis, de qua paulo ante diximus, propria manu iussus est subscribere: in hunc finem nimirum, ne quo iure uel ipsam urbem Romam uel alia ad Imperium pertinentia loca a Pontificum manibus Imperio uendicare, & Romani praesules maiori cum ocio & securitate inique partis opibus frui possent. Porro haec, ut modo exposita sunt, gesta esse testantur historici circa annum nati Christi Saluatoris 962.

Ceterum quamuis Imperij ius & dignitatem sibi ereptam & ad Germanos translata esse, iniquius ferrent Franci, Pontifices tam Germanorum Imperatores potentissimos, qui tam graui (ut modo dictum est) iuramento ipsorum uoluntati sese obstrinxerant, minime reijciendos esse iudicauerunt. Quapropter diligenti studio in hoc potius intenderunt suos animos, ut comoda ratione aliqua Imperium Germanis confirmare & penes illos huius ius & dignitatem reseruare possent. Hic autem Gregorij Quinti Papae solertia sese exeruit, quae conatum hunc iuuuit atque prouexit quam maxime. Is enim cum a Saxonia oriundus Otthoni quoque Imperatori eius nominis tertio consanguinitate iunctus esset, eam de Imperatore eligendo sanctionem tulit (ipso Otthone non abnuente, sed consentiente potius) ut solis Germanis Imperatorem eligere posthac liceat. Electores autem instituit sex, quibus illa res Imperatore aliquo defuncto

Electores  
principes.

cuta



euræ esse deberet, tres nimirum ex episcoporum numero præ-  
sules, & totidem principes, quibus septimum adiecit, Bohemæ  
regem, ad componendam partium discordiam. Licet uero his  
omnem Imperatoris eligendi potestatem commisisse uideretur,  
ea tamē cōditione tā ipsos quàm Germanos omnes obstrin-  
xit, ut quem ipsi elegissent, tum demum Imperator & Augu-  
stus haberetur, si eū Romanus Pontifex confirmasset. Et hæc  
quidem facta constat Anno domini 1002.

Sed & hoc loco Pontificum artes & dolos quodammodo  
ineuitabiles est uidere, quibus noua accessione suum illum præ-  
matum & uires amplius confirmauerunt. Primo enim inter  
Electores principes tres ex episcoporum numero collocauit, quæ  
cum Romanæ sedi iuramento astricti sint, neminem alium Im-  
peratorem eligere audent, nisi quæ Pontificis nutu approbari  
posse intelligunt. Deinde, electio licet pro Pontificis arbitrio  
minus successerit, confirmationē tamen & coronationē sibi re-  
seruauit, quæ si electo negauerit, nec Imperator nec Augustus  
dici merebitur. Vnde constat, Electoribus non nisi nudos glo-  
riæ titulos donatos esse, Pontifices uero hoc fūco ambitionē et  
tyrannidē suā, quæ apertius proferre pudebat, uelare uoluisse.  
Testantur hoc ipsorum Canones, qui ut sæcularem gladiū, quo  
Imperator armatus regnat, spirituali, ipsi nimirum Pontifici,  
subiectum esse debere tradunt: sic eā quoque potestatem Pontifi-  
ci uendicant, ut solus sua autoritate citra omnem uel totius  
Concilij uel alicuius præsulis consensum Imperatoria dignita-  
te, si quæ sibi displicere senserit, spoliare queat. Et sane hac sua  
potestate contra sanctissimos quosque Imperatorum, non sine  
graui totius Germaniæ iactura, pugnauerunt semper, quod  
ipsum Henrychi 1111. Ludouici 1111. Friderychæ  
Barbarossæ & aliorum res gestæ demonstrant; de quibus



## Homilia

in sequentibus Homilijs copiosius & clarius differetur.

Ex his uero, quæ hæcenus enumerata sunt, abunde satis patere arbitror, quibus initijs ad tantum dignitatis & potentia fastigium ascenderint, quo illi hodie tam superbe & impudenter gloriari solent, nepe quod pessimis artibus, proditiõne, latrocinijs, periurijs & perfidia hæc sibi uendicarunt. Primo enim superbium illum Oecumenici & uniuersalis episcopi titulum non sine pertinaci contentione cum Constantinopolitanis episcopis instituta apud Phocam crudelissimum tyrannum obtinuerunt. Eiusdem uero autoritate & potentia primo omnium contra Græcorum Imperatores, benefactores suos, usi sunt. Hos enim, cū idola & idololatriæ studia, in ecclesijs suis ferre recusarent, diro anathematis fulmine petitos, ab ecclesiæ communione repulerunt, ac eorūdem in Italia Exarchos partim trucidare, partim Italia eijcere ausi sunt, sic ut hanc totam ad defectionem quoq; pertractam Imperatorum potentia eriperint. Hinc in Galliam quoq; sua audacia penetrantes regium genus oppressere, eosq; in regni fastigium euexere, quos sua libidini & superbiae promptius inseruituros uidebāt. Mox horum uiribus nobilissimum fortissimumq; Langobardorum regnū in Italia aggressi, non ante destiterunt, quam hoc quoq; oppressum & uires eius infractas senserūt. Et sic quidē trium regnorum oppressione eas uires consecuti sunt, ut tādē ipso quoq; Imperio suis pedibus subiecto, Imperatoribus ad quæuis pro sua libidine abuti potuerint. Duo ergo ex ijs, quæ proposita sunt, hæcenus euidenti expositione demonstrauius, primo quidem Antichristi sedem Romam esse, deinde uero Romanum Pontificem paruo illo, quod apud Daniele est, cornu figurari, & uerum esse Antichristum. De reliquis uero in sequentibus agetur.

Hic



Hic uero Pontificū illorumq; regni initia probe nobis meditata erūt, fratres in Christo dilecti. Vt enim dolis, perfidia, prodicionibus et optimorum principum oppressione regnū consecuti sunt: ita iisdem artibus regnum, gloriam & potentiam suam in posterum quoq; retinere conabuntur. Et huius rei argumentum infallibile præsens hæc nobis exhibet Tragœdia, qua illorum consilijs & instinctu potentissimos principes et fortissimas gentes in arma contra Christum Regem & sacerdotem summum excitant. Hic ergo diligentia et singulari studio opus est fratres, ut ad Christi uerba unice respicientes illorum regulam sectemur, simulq; Dei aures assiduis fatigemus precibus, ut suo nos patrocinio tueri, ex Antichristi tyrannide asserere, ipsius cornu & uires infringere, è contra uero sui filij cornu & regnum erigere & prouehere dignetur, ut huic in fide, charitate, & uitæ innocentia seruietes, tandem æternum cum ipso uiuere

& regnare possimus,

A M E N.

D



## Homilia

RODOLPHI GVALTHERI

TIGVRINI DE ANTI

christo Homilia III.

### ARGVMENTVM.

Descriptionem personæ Antichristi continet, docens, quid illi proprium sit, & quibus notis facile possit agnosci.

Antichristi  
cognitio ne  
cessaria.

**Q**UEM AD MODVM in re militari non utile modo uerum etiam necessarium est, ut hostē simul atq; arma illius, dolos itē, insidias, consilia & conatus omnes plenissime cognoscamus, quō facilius ista caueri & iustis uiribus prudenti q; consilio repelli possint. Sic eadem cognitio in omni uita nostra æque necessaria est: in cuius cursu perpetua quædam & indefinens militia sustinenda est, summi nimirum Imperatoris, nempe Domini nostri Iesu Christi auctoris spiritus: qui nos non carnalem aliquem & mortalem hostem petere iubet, sed suæ militiæ ascriptos homines aduersus spirituales salutis nostræ aduersarios, & ut Paulus apostolus inquit, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum sæculi huius, imò aduersus ipsum diabolum ueterem illum & magnum serpentem, cuius infinita est astutia & doli innumerabiles, quiq; in omnem formam sese transfigere, adeoq; angelum lucis simulare nouit, armatos esse iubet. Quamuis uero communis ille salutis nostræ hostis miris ac uarijs stratagematum suorum dolis, cum primis tamen falsæ doctrinæ imposturis nobis insidias struit, est tamen illi copiarum suarum supremus aliquis dux & Imperator, quem ille omnibus uiribus suis, omnipotentia, dolis item, fraudibus, imposturis, facultatibus deniq; omnibus ad humani generis perditionem plenissime instruxit.

Ephes. 6.

Hunc



Hunc sacrae scripturae ANTICHRISTI nomine & ty-  
 po multis in locis monstrant, eò quod domino & saluatori no-  
 stro Iesu Christo (qui nobis à Deo caelesti patre factus est, 1. Cor. 2.  
 sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio) per om-  
 nia aduersus & contrarius ipsum oppugnat, & nos, quos ille  
 sanguine suo redemit, ab illius consortio, cultu & salutis parti-  
 cipatu abstrahit. Hunc ergo diligenter inspiciamus oportet,  
 & huc animi nostri oculos cum primis hoc saeculo intèdere con-  
 uenit, ut ex scripturis tã ipsum, quàm dolos ipsius omnes agno-  
 scere, & quo minus per hunc seducamur, cauere possimus. Po-  
 terit autem plena huius cognitio ex duobus illis scripturae locis  
 facile percipi, quos nuper ex Daniele prophetarum excelsis-  
 lentissimo, & Paulo apostolo produximus: qui ea luce & eu-  
 dentia eius imaginem nobis depingunt, ut sex capitibus uel pro-  
 positionibus uniuersum illius negotium comprehendere possit.  
 Et ex his quidem duas priores nuper exposuimus, quibus il-  
 lum Romae oriturum, sessurum & regnaturum docetur, si-  
 mulq; ostenditur, quibus medijs, dolis, imposturis, proditiõ-  
 bus & conatibus improbis regnum acquisiturus & obtenturus  
 sit. Quae quidem omnia ea luce exposita sunt, ut sufficienti si-  
 mul expositione demonstratum sit, hæc per Romanum Pontifi-  
 cem (qui pro uero illo, præcipuo & magno Antichristo haberi  
 debet) sic impleta esse, ut olim à prophetis & apostolis prædi-  
 cta sunt. Proximum ergo est, ut ad tertium huius tractationis  
 locum transeamus, quo persona Antichristi, eiusdem natura, III. Antl.  
 ingenium, mores, proprietates deniq; omnes, ex quibus agnosci christi per-  
 potest, describuntur. Extant autem hæc apud Paulum aposto-  
 lum, qui in eo, quem supra citauimus loco, quatuor nominibus  
 uel titulis, ceu uiuis quibusdam coloribus omnem hanc Antia-  
 christi faciem graphice depingit.



## Homilia

Homo peccati.

Et primus quidē, quo illum ornat, titulus est, quod ἀμαρτίας  
πορ τῆς ἀμαρτίας, id est, hominem peccati nominat. Neq; hic  
Hebraismum sapiens locutionis formula emphasi caret, dum  
uidelicet nō simplici modo uel peccatorem uel sceleratum aut  
facinosum, sed hominem peccati atq; scelerum esse dicit, sic  
uidelicet plus quiddam dicere uolens, illud nimirum, quod pec-  
cati seruus & mancipiū, eiusq; legibus in omni uita sua in uni-  
uersum addictus sit. Porro ut tituli huius sensum plene intelli-  
gamus, simulq; num idem hic Romano Pontifici uere conue-  
niat uidere possimus, primo statim loco quid nam peccati nomi-  
ne scriptura comprehendat, inspiciendum erit. P B C C A  
T V M uero sacri scriptores uocant, quicquid contra Dei pa-  
tris cœlestis uoluntatem, & uerbi ipsius sancti auctoritatem  
uel circa fidem & religionem, uel circa charitatis officium,  
uel etiam uitæ innocentiam & puritatem committitur. Hisce  
enim tribus speciebus uniuersa Christiani hominis & fidelis  
uita, ac quæcunq; ad hanc requiri solent, comprehenduntur.  
Quod si uero Papatum omnem unā cū capite huius & mem-  
bris omnibus diligentius paulo & penitius inspiciamus, tales  
inueniemus, qui peccatis pollutissimi, homines quoq; peccati  
merito dici debeant.

Nam quod fidem & religionem, quæ in Papatu seruatur et  
traditur, attinet, eam ueræ & orthodoxæ fidei atq; religioni  
prorsus contrariā esse constat, cū uidelicet ex sacrosanctæ scri-  
pturæ sermone, unde omnis fidei & religionis doctrina desumi  
debet, minime desumpta sit: qua de re postea, cum ad tertij titu-  
li expositionē peruētum fuerit, plenius differetur. Porro licet  
hoc loco illud ipsis daremus, quod nimirum circa fidei & reli-  
gionis suæ doctrinam integra sint omnia & iuxta uerbi diuini  
sententiā tradita, ipsos tamen Pōtiffices eorumq; cōplices gra-  
uiter



uiter circa eandē peccare omnino fatendum erit, si nefandum illud Simoniae scelus, qua tanta impudentia & libidine in ipsis sacris grassantur, consyderemus. Huius enim impudentia eō tandem impietatis illos peruēnisse uidemus, ut non sacerdotia modo & collegiorum monasteriorumq; reditus atq; alia eius generis bona ecclesiastica, hominibus indignissimis, utpote libidinis suae conscijs, internuntijs, perductoribus, lenonibus, agasōnibus, mulionibus, coquis et infmitis alijs, nulla uel uitae innocentia uel eruditione non nisi mediocri praeditis, solo pecuniae uel etiam priuati fauoris & commodi studio possidenda traderint: sed & sacrosancta spiritus sancti dona, peccatorum remissionem, Dei patris caelestis gratiam, sacramentorum communionem, Baptismi lauacrum, imō suum illum Deum ex pane factum, unā cum caelorum regno & aeterna beatitudine, ueniam exponentes quibusuis hominum pecunijs emenda dederunt, idq; ea impudentia, ut suos illos institores & Chanaanos auarissimos, non puduerit alta & Stentorea uoce merces commendare, & pro iisdem omne pecuniarum genus, siue bellis, siue furtis, siue rapinis aut sanguine partū, expetere. Nā etiam istis artibus partas opes nō minus quā alteras illas sacrosanctas esse dixerunt, si illis coniungantur. Neq; me haec uel inuidiae, uel odij gratia fingere satis nouerunt omnes, quotquot horum superstitione dementati merces illorum sibi redimendas esse putarunt: sed & clarior est eius rei ueritas, quā ut ampliori demonstratione hic sit opus. Quid ergo hic dicemus, fratres in Christo dilectissimi? Nōne fatendum erit, eos qui talia fecere, in summo illo & principali totius uitae articulo, circa fidem nimirū & religionem miserrimos plane & per omnia excacatos fuisse peccati homines? Primo enim arrogantissima temeritate ea sibi uendicarunt, quae nec unquam habuerūt, nec



## Homilia

etiam à Christo Iesu ipsis sunt tradita, nempe peccatorum remissionem, dei gratiam, cœlorum regnum, uitamq; & beatitudinem æternam, quæ omnia solius Iesu Christi sanguine pretioso redempta esse tota scriptura docet. Deinde spiritus sancti dona uenalia habentes ex templo Dei non precationis domum, sed emporium quoddam, imò institoriam tabernam fecere. Tertio religionem omnem scelerum & iniquitatis omnis prætextum reddiderunt, sub quo quiduis audere & patrare cuius licitum fuit. Nõne enim sub falsa hac religionis specie non tuto modo sed & nemine prohibente scortari, adulteria committere, supra inferre, ludis improbis incumbere, inebriari, belligerari, rapere, furari, Christi pauperes opprimere, sanguinem innoxium fundere, ferro deniq; aut flammis omnia miscere licuit? Nõne omnibus hisce uitijs onustus atq; obrutus repente liberari & expiari potuit, ut primum uel Missæ sacrificium peregit precio conductus sacrificex, uel absolutio pecunijs redempta fuit? Iure igitur & maxime quidem illorum merito, illud Christi Regis & Sacerdotis nostri dictum ipsorum auribus intonari debet: Domus mea domus precationis uocabitur, at uos fecistis illam speluncam latronum. Huc quoq; publicas rapinas, quas sub fucato religionis prætextu nimium impudenter exercet, adnumerare licebit. Nec enim contenti uiuētes bonis suis spoliari homines rapacissimi, uerum etiam illis defunctis et in alia uita agentibus, illorum hæredes uxores atq; liberos spoliare & deprædari satagunt. In hunc enim finem trigesimas, Missarum pro defunctis sacrificia, Anniuersaria et infinita alia huius generis commenti sunt, in quos æternos quoq; census atq; redditus, uel à morituris testamento legari, uel ab ipsis hæredibus demũ decerni & numerari oportet. Et quid hoc aliud esse dicemus quàm quod Christus Iudæorum

Matth. 21.



daorum scribis & pharisæis obijcit, illos dicens sub longæ præ- Matth. 23.  
 cationis prætextu pupillorum & uiduarum domos uorare at  
 que rapere? Quis uero hic illos culpa et crimine liberabit, cum  
 proprijs factis adeoq; proprij oris testimonio se prædones & sa-  
 crilegos esse prodant? Si enim Indulgentiarum bullæ, quas ui-  
 uentibus adhuc magno precio emendas offerunt, ad peccato-  
 rum remissionem (ut ipsi iactitant) sufficiunt, quorsum opus  
 est mortuis eandem nouis indies sacrificijs redimere? Quo-  
 niam autem his quoq; opus esse, nec sine his animas defuncto-  
 rum liberari posse tradunt, se utiq; impostores esse prædicant,  
 quia uiuentibus dolo & fraude pecunias emunxerint, perfe-  
 ctam nimirum peccatorum remissionem pollicentes, quam de  
 inde imperfectam esse & pluribus alijs, imò nouis mercibus in-  
 digere dicunt. Porrò omniū horum author et inuentor est Ro-  
 manus Pontifex unà cū suis illis suæ religionis mystis, qui per  
 ipsum iacta superstitionis semina miro fingendi & mentiendi  
 studio plantauerunt. Quapropter primum hunc, quo Paulus  
 Antichristum donat, titulum ipsi uerissime competere dice-  
 mus, ut nimirum **HOMO PECCATI**, peccato item ad-  
 dictus, imò eiusdem seruus, et fidele non peccati modo, sed sum-  
 mæ etiam impietatis & blasphemie mancipium uocetur.

Porrò si ea, quæ Christianæ charitatis sunt, quam toties  
 ac tanto studio à nobis requirit Christus dominus, legesq; &  
 præcepta sua omnia huius titulo complectitur, inspiciamus  
 & cum hac Pontificum uitam atq; mores conferamus, ipsos  
 omni charitate uacuos & circa hanc quoq; homines peccati  
 esse, omnino fatendum erit. Exemplis enim & multorum an-  
 norum historijs demonstrari poterit, eos nunquam non pu-  
 blicam pacem & maximarum nationum incolumitatem priua-  
 tis suis commodis, libidini item suæ & quiduis agendi licentiæ.



## Homilia

postposuisse. Nos uero, ne nimium prolixi uideamur, pauca quaedam ex multis seligemus, & ea maxime, quæ intra annos ab hinc retro quingentos euenisse legimus.

Henry-  
chus 4.

Et primus quidem hic prodeat Henrychus imperator eius nominis quartus, qui circa annum à nato saluatore 1057. imperij titulo & dignitate ornatus fuit, puer quidem tunc temporis, sed qui mox unà cum annis rerum agendarum prudentiâ & uirtutē coniungens præstantissimus fortissimusq; princeps est factus. Hoc imperium non sine laude & uictorijs cōtra hostes administrante, Pontificiam sedem Hiltebrandus quidam monachus, nulla legitima ordinatione uocatus, sed priuata libidine dolisq; occupauit, & inde Gregorius septimus dictus est. Qui cum auaritiæ, odij, inuidiæ, superbiæ & rerum nouarum studio (ut Italici quoq; scriptores, & inter hos Beno Cardinalis testantur) totus flagraret, quorundā Pontificum præcessorum suorum uestigijs insistendum esse ratus, imperatorem eo iure & potestate, quam in episcopis & ecclesiarum ministris ordinandis ueteri cōsuetudine obtinebat, spoliare conatus est. Hac enim occasione non opes modo ingentes, uerum etiam plus honoris & potestatis Romanæ sedi accessurum uidebat. Opposuit sese iniquis Gregorij conatibus imperator, & illius ambitionē probe perspectam habens iure suo nihil cedendum esse putauit, quin potius illud, ut par erat, sibi uendicare perrexit. Tam autem ea res cordi fuit Gregorio Pontifici, ut huius gratia nec prodicionibus, nec cædibus parceret, quin multis in locis bella quoq; intestina, & omne genus calamitatis concitaret. Primo enim imperatoris uitæ insidias struens, uarijs modis eundem tollere conatus est, adeo ut in ipso quoq; templo inter preces perdere uoluerit. Cum uero insidias minus succedere uideret, aperte uis & inimicitijs uti cœpit, ac Henrycho

excom



excommunicato omnes à fidelitatis (ut ipsi uocant) sacramen-  
to absoluens imperij coronam Rodolpho Sueuorum duci hoc  
uersu exornatam transmisit,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Fuit ea res grauisimorum bellorum seminarium, Henrycho  
nimirum ereptum sibi imperium armis uindicante. Vnde tan-  
dem post multa bella grauius gesta & multū sanguinis pseu-  
doimperator Rodolphus praelio uictus uitam cum imperio de-  
posuit. Hoc sublato nouum imperatorem Pontificis iussu crea-  
runt, qui illius fauentes partibus Henrychum reiecerant. Et  
electus quidem est Hermannus Lucelburgi Comes, qui & ipse  
pulsus uitam cum imperio statim amisit. Nec tamen Dei iustis  
iudicijs uel ipse Pontifex uel huius fautores coërceri potuerūt,  
quin tertium quoq; contra Henrychum, nempe Marchionem  
Ecbertum eligerent, qui & ipse paulò post in mola cæsus occu-  
buit. Territis ergo trium principum fatis reliquis omnibus, ne-  
mo ut imperij titulum & honorem sibi uendicaret, persuaderi  
amplius potuit. Nondū tamen exatiata Pontificis ac suorum  
rabie, tantū efficere potuerunt homines improbissimi, ut Hein-  
rychi quarti filium (quem Henrychum quintum nominant hi  
storici) contra patrem in arma excitarent: Ortæ hic sunt tur-  
bæ graues admodum & horrendæ, cum infestis armis pater et  
filius dimicarent. Tandem uero Pontificum dolis & perfidis  
artibus adiutus filius, patrem, senio & meritis grauem, prodi-  
tione cœpit, deinde regno & omni dignitate exutum, priuatum  
& captiuum mori cœgit. En Tragœdiam plus quam cruen-  
tam, fratres in Christo dilecti. Et quis nam mortalium in hac  
uel scintillam charitatis monstrare poterit? Testes certe hic  
nobis sunt historici, in hisce dissidijs interq; tantos bellorū mo-  
tus sexagies bis ab Henrycho quarto collatis signis pugnatis



## Homilia

esse: qui præliorum numerus cordato cuius facile innuere potest, quantum Christiani sanguinis effusum, quot oppida capta, quot agri uastati, quot segetes proculcatae, & in quantum uiduarum & orphanorum numerus adauctus sit. Nōne uero si uel scintilla charitatis Gregorij animo insedisset, omnem potius dignitatem deponere, & ipso Papatu semetipsum spoliare, quam ob temporarias opes & potentiam breui perituram tantum bellorum & calamitatis excitare debebat? Atqui nullis uel bellis uel incendijs uel sanguinis effusi riuus contentus est, donec ipsius etiam naturæ legibus uiolatis filiū contra patrem, cuius senium iam defendi ac subleuari debuerat, armatū & intestinis bellis cōmissum uidet. Et quem à cuiusuis sanguinis effusione abstertere pro officio suo debebat, eundē ad patricidij immane scelus sollicitare non erubescit. Quid ergo post hac sæuum, durum, crudele, atrox uel horrendum dicemus, si hoc non est? Filius, & is unicus, non aliqua uel priuata uel publica iniuria irritatus, patrem non spernit modo, non deserit, non suo destituit auxilio, sed insuper armis petit, obsidione premit, proditione circumuentū capit, imperio spoliat & miserum captumq; tristem mortem obire patitur. Et hæc quidem non alicuius barbari tyranni iussu, non Phalaridis alicuius instigatu, sed sanctissimi patris (si dijs placet) consilio fiunt. Gaudeate nunc Caligulae, exultate Nerones, & quotquot unquam crudelitatis nomine fuistis celebres: habetis enim qui dum uos longo post se relinquit spatio, infamia & diri nominis memoria liberat, Romanum uidelicet Pontificem, qui in patris uiscera filij gladium stringi præcipit.

Friderychus 1.

Possunt his Adriani quarti & Alexandri tertij præclara scilicet coniungi facinora, quæ summa cum iniquitate in optimum fortissimumq; principem Friderychū cognomento Barbarossam



Barossam adiderunt. Hic enim licet omnibus superior esset hostibus, Pontificum tamen tyrannidem nec uitare nec infringere potuit: quin post grauius bella & clades tristissimas ad Pontificis pedes supplex procumbere collumq; suum impuris Antichristi pedibus calcandum præbere coactus est. Et quis nam charitatem penes eos quærat, qui nec imperatoriæ dignitatis parcere didicerunt?

Postea uero circa annū à nato mundi saluatore 1220. non <sup>Friderychus 2.</sup> minus iniquitatis & perfidiæ ab iisdē illis Friderychus secundus perpeffus est, cui contra Turcas bellum gerenti summa improbitate simul & armis nepharijs restiterūt, & crucis Christi hostes magna cum fœlicitate oppugnantē perfidis suis machinationibus retraxerunt, adhæc suis petitis fulminibus fidelium communionem & imperio spoliarunt alijs contra hunc electis imperatoribus: quod ipsum quoq; maximorum bellorū causas & sanguinis innumeri effusionem peperit.

Adhæc anno Domini 1300. cum Albertus Austriae Dux Imperator electus esset, Bonifacius Pontifex, eius nominis <sup>Bonifacius 8.</sup> octauus, eundē nec confirmare nec coronare uoluit, nisi prius se Philippo Galliae regi bellum illaturum eumq; regno pulsatum esse polliceretur. Belli uero causa hæc erat, quod Philippus cum Romanæ sedis dolos cerneret, omnem à Galliae regno Pontifici prouentum negabat. Quapropter sanctus ille pater charitatis præcepti egregie memor, ut priuato commodo consulat, duas potentissimas Christiani nominis nationes, Galliam nimirum atque Germaniam atrocibus bellis inuicem committere instituit, cum gaudio nimirum urbium expugnationes, agrorum uastationes, hominum cædes & quæcunque bellum mala secum fert, spectaturus, dummodo quæstus inde ad ipsum maximus redeat. Melius tamen hominum rebus



## Homilia

eclestis ille pater consulit, qui eos indidit regibus animos, ut Pontificis obliti armisq; positis bellum lachrymabile in letas nuptias conuerterint.

**Ladislaus.** Neq; hic omittendum est, quod Ladislao Vngariae & Poloniae regi iisdem animis moti intulerunt Romani Pontifices. Vicerat is foelici admodum & insigni uictoria potentissimum Turcarum principem Amurathem, fuis copijs Turcicis & extortis pacis conditionibus hosti difficilibus. Cum uero ea clade repressi Turcae ab Vngariae incursionibus ob pacis quoque conditiones abstinere cogentur, nouas uero in Italiam irruptiones facere & Pontifici pericula mouere inciperent, Eugenius Papa, ut se & Italiam omni periculo liberet, Iulianum, Cardinalem ad Ladislaum mittit, qui pacem cum Turcis in istam ceu impiam & indignam danmet, simulq; persuadeat, Christianos nullatenus obstringi, ut fidem seruent infidelibus. Nec ante suadendo & urgendo destitit, donec regem persuasum pacis conditiones transgredi & perfidum fieri coegit. Mox ergo auspice beatissimo patre & classicum canente Iuliano apostolico (apostolico dicere uolebam) legato reparatur bellum cruentissimum, quo sinistre gesto Ladislaus rex caesus est, Amurathes uero uictoriam amplam & splendidam retulit. Gesta sunt haec anno a partu uirginis 1544. En haec est illa patris sanctissimi charitas, haec illa dominici gregis dilectio, qua suadente promissam pacem temere uiolare & fidem datam impudenter fallere docet, nec id modo, sed & optimos & hac in re plus satis simplices reges populosq; nimium credulos immanissimis crucis Christi hostium, Turcarum, armis obijcit, dummodo ipsi Romae tuto & securo esse liceat.

Porro ne exemplorum copia in immensum excrescat oratio, non opus esse uidetur, ut quae olim contra charitatis legem  
Romani



Romani Pontifices fecerunt, multo uerborum apparatu exponamus, cum nostra hæc tempora id ipsum satis euidenter testari possint. Videte enim, fratres in Christo dilectissimi, præsentibus hæc turbas & intestinum Germaniæ bellum, quod Pauli tertij Papæ & membrorum ipsius opera atq; consilio excitatum esse constat, & inquirete si libet diligenter, num uel minima in hoc facinore charitatis nota aut scintilla sese proferat. Quis enim nescit maiorem Christiani orbis partē, cum primis uero omnem uere sapientum & eruditorum gregem, de Pontificum tyrannide & intolerabili iugo multis iam sæculis conquestos esse? Accesserūt his imperatorum quoq; sententiæ, qui eosdem illos ut & suos mores corrigere & ecclesiarum ministros eorumq; libidinem coercere, atq; dignam inter hos totius uitæ disciplinam instituere uellent, summa fide & studio sancto monuerunt. Sed in cassum omnia. Nam nec ecclesiæ querelas audire, nec imperatorū admonitionibus parere uoluerunt homines improbissimi, quibus sua libido omni disciplina & honestate charior fuit semper. Vnde etiam omnibus postpositis suis cupiditatibus atq; uitijs habenas laxarunt. Hic ergo Deus celestis pater eorum licentiam & intolerabilem & incurabilem cernens, quosdam è ministrorum suorum numero selegit, & eosdem spiritus sui luce & radijs illuminauit, ut Pontificis tyrannide & iniqua dominatione cognita simul etiam diuini uerbi ueritatem plene perspexerint. Hi manibus operi ad motis ueritatis lumen mundo in tenebris agenti intulerunt, diras uero & horrendas Papatus abominationes palam arguerunt, singulos quoq; ut ab his sibi cauere, admonentes. Sensit hinc grauem admodum iacturam sedes illa, & quā hæcenus nulla imperatorum potentia ad casum impellere potuit, nunc in sese & membris suis & honore & opibus magna ex parte imminu-



## Homilia

za deficere cœpit. Nec enim posthac Germani (quibus illa lux  
primum affulserat) Romam cursitare, & ibidem animarum sa-  
lutem quærere uoluerunt, cum ueram salutis uiam, Christum  
Iesum, agnoscerent. Nec etiam Romanas Indulgentias Bul-  
lasq; pecunijs redimendas esse putarunt, cum per Christum peccata remissa esse, & de horum remissione homines per fidem certos fieri intelligerent. Quid multis? Quæstuosissima illa Pontificiæ Alchymie fornax apud Germanos uiuis Euangelij aquis prorsus extincta, & uniuersum Romanæ sedis aucupium cum omnibus suis instrumentis sublatum est. Conquesti sunt ea de re patres illi sanctissimi ubiq; locorum, & qui prius ad aliorum querelas surdi fuerant, nunc ipsi conqueri cœperunt, sed & blandis uerbis, promissionibus amplissimis & multum simulata sanctimonia eos, qui ueritatis doctrina institui ab ipsis descuerat, suæ tyrannidis iugo denuo subijcere conati sunt. Vbi uero artibus suis nihil profecerunt, mox imperatorum, regum, principum, ciuitatum & populorum auxilia implorantes illos armare cœperunt contra ueritatis sectatores, quos illi nouam & hæreticam religionem sequi clamitabant. Hic ergo Pontificum stimulis excitati magistratus suis armis in Christi fideles grassari cœperunt. Et tunc quidem diris flammis sublatos, in crucem suspensos, aquis suffocatos, gladio peremptos, in omni mortis genere enecatos uidere licuit eos, qui unicam salutis uiam Christum fatebantur. Quin eò crudelitatis deuentum est, ut nulli uel ætati uel sexui parsum sit. Addiderunt tamen crudeliora his egregij illi ecclesiæ proceres: nam pecunijs quoque sollicitarunt principes & populos quosuis, qui bellis excitationis intestinis religionem ipsis aduersam ferro ac igne exinguerent. Vagati sunt hinc inde ab hisce patribus emissi sicarij, qui uerbi ministros quocunq; modo trucidarent. Inuenti & depre-

hensi



hensi sunt ab iisdem illis conducti incendiarij, qui clam submissis ignibus tam Christi fideles quam illorum urbes atque agros depopularentur. Nec tamen omnibus hisce, quantumuis diris facinoribus, contenta purpurata hæc rubensq; sanctorum sanguine ecclesia, non ante quieuit, quam immane hoc & funestum bellum miseræ Germaniæ inferri uidens omnes sibi fidos contra hanc in arma excitauit. Proferte hic nobis charitatis fructus ô Pontifices. Ostendite hic aliquot beneficentiæ Christianæ specimen ô Pontificum asseclæ. An uero charitatis est, homines Christi sanguine redemptos iugulare, urbes diripere, agros uastare, segetes proterere, matronas & uirgines constuprare, in omnem denique sexum & ætatem post omne iniuriarum & contumeliarum genus ferro & igne furere? At hæretici (inquiunt) sunt, non orthodoxi Christi cultores, quos nos persequimur: adhæc casta illa Christi sponsa ecclesia per hos uiolatur impudentissime, simulq; inconsutilis Iesu Saluatoris tunica eorundem temeritate & doctrinis falsis miserè lacerata & discerpta est, quam nos sarcire & reparare conamur. An uero summæ tyrannidi summam quoq; iungetis impudentiam lupi cruentissimi? Quid uos de Christi tunica dicere attinet? Per uos enim hæc iam olim in partes dissecta & laniata est, imò fortibus quoq; iniquissimis, ut olim apud Iudæorû milites, in impurissimorum hominum manus peruenit. Non ergo Christi tunicam, sed nequitiae uelum & impietatis prætextû euangelij prædicatione scissum esset doletis, quo hætenus uelati omne impietatis & libidinis genus exercuistis impune. Dolet uobis apertos esse & disruptos saccos in quos hætenus uerû illius Iosephi Christi Iesu scyphû & quæcunq; alia sacrilegia recondidistis. Patent iam uestri doli, patent mendacia, patent imposturæ, patet & exosa est pijs omnibus uestra illa tyrannis



## Homilia

plus quàm Sicula, qua non in hominũ modo corpora, sed ipsas quoq; animas grassati estis. Hæc prodita esse dolet: hinc illæ sunt lachrymæ, hæc illa misericordia. Nam quod atrox illud hæreseos crimen (quod nunquam non uobis in ore est) attinet, quem obsecro è nostris conuincere uobis licuit? Num quem hæreticum esse hætenus probauistis? Hæretici sunt, qui nouos fidei articulos contra scripturæ ueritatem condunt, & eosdem pertinaciter urgent. Hoc crimen à nobis est alienissimum. Nec enim aliquem è fidei apostolicæ & symboli articulis negamus, nullos insuper nouos fingimus, nullos mutamus improbe, nullis quicquam uel tollimus uel addimus. Sed laruis huiusmodi opus est, ut ueritatis & ueræ fidei doctrinam apud simplex & rude uulgus infami hoc & atroci hæreseos crimine inuisam & exosam reddere possitis. Quod si tanto, quantum uerbis iactitatis amore Christi ecclesiam prosequimini, si in tantum uobis curæ est clara illa & fortissima Germanorum natio, iniquissimis certe indignissimisque rationibus hunc uestrum amorem & studium testamini, dum armis nefandis & immanissimis hostibus undiq; excitis illam inuisitis. Num Christus dominus ipsdem rationibus mundum in suas partes traducere unquam instituit? Num exemplum huius rei aliquod eiusdem apostoli uobis reliquerunt? Paulum fortasse hic prætexere licebit, qui huiusmodi minas spirauit, armis quoq; huiusmodi fideles impugnavit, cui manifestus Christi hostis ipsum dominum persequi & contra stimulum calcitrare dictus est. Vbi uero Christi uirtute conuersus fidem Christianam ubiq; gentium docere & plantare cepit, longe alias rationes est secutus. At quid uerbis opus est contra purpuratam illam & cruentam, imò rubentem sanguine sanctorum synagogam? Ea enim penes hanc animorum est obstinatio & cæcitas, ut nec ipsum Dominum audire dignetur.

Nostrum



Nostrum est, fratres in Christo dilectissimi, hinc discere, quod omni charitatis scintilla uacui isti homines totis frigent animis. Nam si aliquo charitatis affectu tangerentur, nondū utiq; dira illa fames & intolerabilis annonæ caritas, qua Germanorum tellus miserè pressa & uix nunc tandem liberata est, illorum animis excidisset, huiusq; memores nunquam admitterent, ut ob priuata ipsorum commoda nunc ferro & igne uasterentur, quos tanta fames tam dire uexauit. Sed nullæ illos calamitates publicæ, nulli casus, nullæ item mouent miserorum lachrymæ, modo suis rebus consultum uideant. Illorum aures nullæ inopum querelæ & clamores penetrant. Nec etiam afflictorum gemitu illorum aures percelluntur, nec famelicorū patient eiulatibus. Quin hoc cōmune illorū studiū est, hæc cura, hic labor unicus, ut miseras oues, Christi redemptas sanguine, è saluberrimis uerbi diuini pascuis in pristinam illam carnifici nam suam denuo abstrahant, iugōq; subiectas pro sua libidine non modo tondere, sed & deglubere, nec id duntaxat, uerum etiam crudeliter mactare, laniare, pellibus exuere & uorare possint. Pereant licet homines innumeri, uastentur agri, expugnentur oppida, diripiantur bona priuata & publica, plorent maritorum cædes nuptæ, filiorum parentes, parentū filij, amicorum & affinium amici & affines, polluaturn matronale decus, uictoris libidini subiectæ gemant uirgines, fame & ferro omnis & ætas & sexus pereat, & tota deniq; diris ignibus ardeat Germania, & facile omne hoc damni quicquid est pensatum putabunt, si cum suo scortorum, parasitorum & cynædorum grege ipsis securis esse & uoluptuari liceat. Omni ergo charitate uacui, quantum in hac est, homines peccati sunt, & omni sceleri & nequitia dediti per omnia.

Transeamus nunc ad tertium locum, qui iustitiæ studium

E



## Homilia

et uita innocentiam attinet, ubi non minus quam in prioribus illis, homines peccati esse comperiemus. Christianae enim uitae innocentia hoc cum primis requirit, ut communem illum omnium fidelium hostem, Sathanam, uitemus, illius abominemur, fugiamus et detestemur commercia. Quod si uero Pontificum res gestas consideremus, plures inuenire licebit, qui Sathanae se totos mancipare non sunt ueriti, simulque artibus studuerunt diabolicis et diuina lege prohibitis. Et in horum quidem numero Gregorium septimum habendum esse, Beno Cardinalis libere testatur, et multa eius rei nefanda producit testimonia. De

Syluester 2. Syluestro eius nominis secundo, Platina Pontificiae dignitatis patronus et tutor studiosissimus, author est, quod malarum artium cultor communi humani generis hosti se totum addixerit, et primo quidem largitione Remensem archiepiscopatum, inde Rauennatem adeptus sit, postremo autem maiore conatu adiuuante diabolo Pontificiam quoque sedem occuparit, ea tamen lege, ut uita hac defunctus totus illius esset, cuius fraudibus tantam dignitatem adeptus erat. Unde etiam (ut idem Platina testatur) cum in cauendis Sathanae insidijs non satis circumspectus est, a suo illo tam egregio promotore et collatore in templo sacra faciens occisus et laniatus publice poenas dedit. Et quis non hinc intelligat quale nam istud munus sit, qualis dignitas, qualeque officium, quod diabolus suis conferre nouit, quodque diabolicis et nepharijs artibus adipisci possunt homines perditissimi? Quid uero de his dicere attinet, cum uulgo constat tam magiae quam aliarum artium diuinis legibus prohibitarum peritissimos doctores et magistros fuisse semper uel sacrificulos uel monachos huius bestiae caractere insignes, qui hoc modo artis et sectae suae authorem studijs suis proderi consueuerunt.

Adhaec temperantiae et uerae castitatis studium Christianae innocentiae



innocentiæ legibus requiri nemo est qui ignoret, cum huius gratia in ipso statim mundi exordio matrimonij usum institutum esse constet. Quam procul uero ab hoc studio recesserint Pontifices, uulgo notius est, quam ut multorum exemplorum demonstratione sit opus. Legitimo enim uereque casto matrimonij sacri usu sublato & prohibito, libidinis et nefandæ scortationis studium plantare non sunt ueriti. Testis hic nobis est Ioannes eius nominis decimustertius, qui (ut nuper quoque diximus) in ipso adulterij scelere deprehensus, & ut par erat, cõfossus est. Testatur id ipsum ante hunc, imò clamat, indignum illud, & quod uix fidem meretur facinus, quo impudentissimum scortum per libidines ad huius usque sedis dignitatem euasisse, & Ioannem octauum dictum esse legimus. Et sanè licet id negare cupiant homines impurissimi, negare tamen nullo modo possunt. Extat enim tanto scelere infamis locus inter theatrum quod Colosseum uocant & S. Clementem, in quo repentinis doloribus circumuenta Papa meretrix peperit, quem etiam nunc ob detestandi facinoris memoriam, imò pudore moti, declinant Pontifices. Extant item scriptorum historiæ fide dignæ, qui egregium illum Christiani ouilis pastorem unà cum puerperio suo tam splendido sanctissimorum patrum Catalogo adnumerauerunt. Nec etiam uolentes licet prætermittere ausi sunt (si fide digni scriptores haberi uoluerunt) ob recentem facti memoriam, quod post Caroli Magni demum tempora, circa annum uidelicet à nato Christo 858. contigit. Eiusdem libidinis testis nobis est Alexander sextus, qui nostra memoria sedens ita uixit, ut nec ab incestus cum filia commissi suspitione famam sui nominis liberare potuerit. Testis quoque nobis est omnis omnium Cardinalium, Episcoporum, Præsulum, Abbatum, Monachorum & Sacrificum uita, qui ut publicæ scors

Ioan. 8. m. 29  
lier Pont.



## Homilia

tationis dedecus nunquam uitarunt, ita spurijis nothisq; suis totum ferè orbem terrarum repleuerunt. Vt interim nefariæ & Christianis auribus indignæ Sodomix libidinem silentio prætereamus, unà cum multis alijs nefandis sceleribus, quibus illos infames esse uulgo constat.

Catalogus  
improbis.  
Ponti.

Porro, ne quis nos iniquiores esse & in hisce recitandis minus bona fide agere dicat, ut qui in sanctissimis quoq; patribus neuos omnes nimirum perspicaci oculo & plus quam censorio notemus, idq; in hunc finem, ut postea propter paucorum delicta et errores totum illum Papatu gregem, & cum hoc ipsum quoq; Papatum reijcere & damnare possimus: non inutile nec ab instituto alienum uideatur, ex Platina Pontificij nominis studiosissimo scriptore breui cathalogo plurium Pontificum uitam & mores perstringere, qui omnes intra paucos annos sedem hanc pestilentix & abominatiõis immanissimis sceleribus ita polluerunt & prophanarunt, ut nec ipsi Pontificij illorum facta silentio præterire, nec ipsis quoq; aliquo modo patrocinari potuerint.

Stephanus  
6.

Circa annu à nato mundi saluatore 900. Pontificia dignitatem adeptus est Stephanus eius nominis Sextus. Is tanto odio Formosi nome (qui aliquot ante ipsum annis in Pontificatu sederat) persecutus est, ut statim eius decreta abrogauerit, res gestas resciderit. Neq; illu beneficioru memoria, quæ in illu Formosus cõtulerat & Anagninæ episcopu creatat, à diro incepto reuocare potuit. Sed quia ab eodẽ antea, quò minus optata sede potiretur, impeditus fuerat, tanta in mortuũ quoq; rabie de seuijt, ut habito concilio corpus Formosi è tumulo tractu, pontificali habitu spoliatu, induumq; sæculari, sepulturæ laicoru mandauerit, abscessis tamen dextræ eius duobus digitis (illis potissimum, quibus in consecratione sacerdotes utuntur) & in Tyberim proiectis, quod (ut ipse dicebat) cõtra iura sacramenti

Romam



Romam & sacerdotium repetisset, quo à Ioanne octauo iure spoliatus fuerat.

Hunc mox secutus est Romanus Papa primus, qui cum Formosi partibus faueret, illius causam approbavit, Stephani uero decreta, & acta statim improbavit & sustulit. Eiusdem uestigijs inhæserunt successores quoq; duo, Theodorus nimirum secundus & Ioannes decimus, qui Formosi causam in integrum statim restituit, aduersante magna populi Romani parte: qua ex re tanta seditio orta est, ut paulum admodum ab iusto prælio absuerit.

Paulò post cum ad Pontificatus honorem ascendisset Leo quintus, mox quadragesimo pontificatus die à Christophoro familiari suo dominandi cupidine capitur, & in uincula conijcitur: quod quidè fieri nõ sine magna seditione & multorũ interitu potuit. Christophorus uero sedè uiolenter inuasam occupauit. Sed hanc malis artibus adeptus, male amisit. Septimo enim mense dignitate eiectus monasticã uitã, unicum (ut Platina inquit) calamitosorũ refugium obire cogitur: nec multo post per Sergiũ tertium, successorẽ suũ, è monasterio extractus in uincula conijcitur. Sergius uero is est, qui Formosi acta ita rescidit et improbavit: ut denuo ad sacros ordines eos admittere necesse fuerit, quos Formosus antea sacerdotali ordine dignos cõsueerat. Neq; hanc quidè ignominiã mortuo intulisse cõtentus, eius cadauer è sepulchro tractũ capitali supplicio, ac si uiueret, afficit: corpusq; ipsum in Tyberim projcit, tanquã sepultura et honore humano indignũ. Quis uero hinc non uideat, fratres in Christo charissimi, quã parũ authoritatis Pontificũ acta & decreta apud quosuis obtinere debeant, cũ ipsi sese mutuis anathematis damnent, & mortuorũ quoq; cadauera coruorum & uulturũ instar tanta cum rabie & impudentia grassentur?

Romanus 1.

Theodorus 2.  
Ioannes 10.Leo 5.  
Christophorus.

Sergius 3.



## Homilia

Sergium secuti sunt in Papatu Anastasius III. et Landus

**Ioannes 11.** I. qui præcessoribus suis nonnihil tranquilliores & pacatiores fuerunt. Successit uero illis Ioānes XI. qui spiritus militares magis q̄ religioni deditos gessit, tandemq̄ seditione militari à militibus captus, & in uincula coniectus cervicali in os coniecto necatur. Et rursus paucis quibusdam intercedentibus ad

**Ioannes 13.** Ioannē eius nominis XIIII. honor ille deuenit, de quo illud à Romanis scriptoribus memoriæ proditū est, neminē ante hunc magis perniciosum & sceleratū Pontificiā sedem occupauisse. Et sanē uitæ & moribus exitus quoq̄ respondit. Post multa enim fœde & scelerate gesta in adulterio (ut supra diximus) deprehensus & confossus est.

**Benedi-  
ctus 5.**

**Ioānes 14.**

Ioāne sublato Benedictus V. in seditione Pontifex creatur. Paulò post autem Ioānes XIIII. sedit, qui cum seditione per Romanos urbe pulsus undecimo exilij sui mense rediret, ea in suos hostes crudelitate usus est, ut immanissimis potius tyrannis, Phalaridi, Dionysio & reliquis horum similibus, quàm apostolis Christi conferri mereatur.

**Benedi-  
ctus 6.**

Successit Ioanni Benedictus VI. qui à Cinthio Romano ciue captus in Adriani molem inclusus, & eodem in loco non multo post strangulatus est. Quem licet dignis rationibus excusare cupiat Platina, Pontificum tamen moribus sceleratissimis offensus dicere cogitur. Vereor ne talia fuerint Benedicti merita, quale præmium à Cinthio consecutus est.

**Bonifa-  
cius 7.**

Deinde intercedente Dono II. sedē illam Bonifacius VII. cuius cognomen & patria ob ignobilitatē ignoratur, malis artibus adeptus est. Nam inuito magistratu conspirantibus simul bonis ciuibus, relinquere urbē coactus, pretiosissima quæq̄ è basilica Petri subtrahens, Constantinopolim cōfugit, ubi tam diu substiit, quoad diuenditis quæ sacrilegio abstulerat, magnam

uim



uim pecuniarum cōparasset : quibus tanquā adminiculis occu-  
pandæ tyrannidis fretus, urbē repetit, ciues Romanos largi-  
tione corrupturus. Obstabant conatibus ipsius uiri boni, maxi-  
me uero Ioānes diaconus Cardinalis, quē captū adiuuantibus  
quibusdā perniciosis hominibus, oculis statim priuauit. At ipse  
tantorū malorū author, gliscente maiore in modū seditiōe, sine  
timore, sine (ut Platina meliora nunq̄ nō de sanctis illis patri-  
bus sperās ait) pœnitētia patrati sceleris, miserè et fœde obiit.

Ioānes eius nominis X V. Pontificatus sui mense 3. ob ty-  
rannidē à Romanis capitur, & in mole Adriani, ut in publica  
custodia inclusus, ibi tam diu pedore carceris, inedia & mole-  
stia animi maceratur, quoad uitam turpiter finiuit.

Huic succedens Ioānes X VI. miro odio in clericos exarsit, Ioānes 15.  
unde merito ab ipsis clericis odio habitus est : maxime uero  
quod diuina humanaq̄ oīa cognatis et affinibus suis elargieba-  
tur, sic nimirū posthabito Dei honore & Romanæ sedis dignita-  
te, pessimæ successoribus suis rei exemplū relinquens, quod uel  
hodie summo studio Pontifices æmulantur. I A M ergo penes  
cordatū quēuis iudiciū esto, fratres in Christo charissimi, num  
merito de Pontificū tyrannide & iniquitate conquesti sint opti-  
mi quiq̄, cū tot, quos modo cōmemorauimus, nebulones, tyrann-  
ni, fures, raptores, latrones, seditiosos & palam sacrilegos, in-  
tra annos 85. sedes illa gestauerit. Et quis sodes ceu sanctā ue-  
neretur, quæ tot pestes sustinere potuit? Nondū tamē impletus  
satis tū fuit impijssimorū hominū catalogus. Nā uix annis euo  
lutis duodecim, Ioannes eius nominis X V III. erupit, qui ui-  
uente adhuc Gregorio V. Papa per factiōe et largitiōes Pon-  
tificatū occupauit. Quapropter à Platina quoq̄ fur et latro  
dicitur, uitāq̄ 10. usurpati pontificatus mēse finiuit turpiter.  
Habuit is successorē Syluestrum secundū, quem paulò ante Syluester 2.



## Homilia

diaboli opera in Pontificatus fastigium euectum esse diximus.

**Benedictus 9.**  
**Gregorius 6.**  
**Syluester 3.** Secuti sunt nō multo post, **Benedictus 1 X.** **Syluester 111.**  
& **Gregorius V 1.** tria monstra teterrima, qui ut largitionibus sedē hanc affectauerunt, ita inter sese quoq; impie colludentes honorē hunc & dignitatē uendere et à se inuicem pecunijs redimere non sunt ueriti. Vnde notorio Simoniae scelere infames Romanā sedem magnis iniurijs simul et contumelijs affecerūt.

**Clemens 2.** Successorem hi habuerunt **Clementem secundum**, quem ueneno tollens **Damasus** sedem pontificiam inuasit improbe. Et sex quidem hosce nebulones improbissimos intra 46. annorum spatium Pontificatum tenuisse legimus.

At quid eos recensere opus est, quos aliquot ab hinc retro saeculis sedē hanc uel illegitime occupauisse uel iniquius administrauisse constat, cum recens adhuc triū Pontificū sit memoria, qui **Constantiensis Concilij** autoritate ob delicta sua improbissima dignitate sua exuti sunt? Inspiciantur etiā, si ita libet, quos nostra & patrum memoria sedisse, & suis consilijs ac machinationibus ipsis superatis alpium iugis ad **Heluetiā** nostram penetrauisse uidimus, quales nimirum sunt, **Sixtus quartus**, **Alexander sextus** cum filio suo **Duce Valentino**, omnis nequitiae, improbitatis & libidinis monstro, **Iulius** item secundus homo sanguine & incendijs gaudens, **Leo decimus**, **Clemens septimus**, cuius perfidas artes & proditorios dolos **Florentia**, tam ingrato alumno infelicissima, sensit: & quis non hos quoque prioribus hisce non modo similes, sed & multis modis deteriores esse dicet? Prodeant enim quotquot unquam horum temporibus in urbe **Roma** cōmorati illorū mores & uitam spectarunt, uel consiliorum quoque fuerunt conscij, & fatebuntur scio (modo uerum fateri uelint) omnes hosce nō uulgaribus modo, sed improbissimis quibusque et notorijs sceleribus fuisse insignes.

Inspiciatur



Inspiciatur deniq; sanctissimus ille, qui nunc sedet, pater Paulus tertius: inspiciantur eiusdē filij et nepotes, & similiter dira, Paulus 3. atrocitas & nefanda reperiemus facinora. Imò fatendum erit, quod si duos uel tres sui similes Papas Roma uiderit, qui ut ipse solet ecclesie bona, urbes, oppida, castra, uillas & agros suis liberis, nepotibus, affinibus & cognatis distribuerint, de amplissimo opulentissimoq; Petri patrimonio uix tugurium aliud quod ad successores ipsorum redire poterit. Quapropter cum maxima hæc & notoria, quibus sese polluunt, flagitia uulgo quoq; notissima sint, non est ut in quotidianis eorundem delictis enarrandis prolixiores simus. Nam cum hæc, licet impudentissimū sint hominum, nullo ore negare possint, quid opus erit de illorum intemperantia, libidine, gula, Venere, dictis & factis lasciuissimis dicere? Sistantur si libet testes Romanæ sedis studiosissimi, qui horum non spectatores modo, sed pars quoque magna fuerunt, tantam scelerum sentinam tamen tantumq; flagitiorum chaos nullis unquam rationibus uel tegere uel excusare poterunt. Satis ergo & abunde satis, in fallor, primus hic, quem illis Paulus tribuit, titulus expositus est, & hinc simul eundem illum nemini mortalium melius quam Romano Pontifici conuenire constat, cum ex illius doctrina uitæq; exemplo omnia quæ modo commemorauimus flagitia, ceu fonte quodam inundantissimo, promanent, quæ cum fidei ueritate, charitatis lege & uitæ innocentia pugnant.

SECUNDVS, quo à Paulo apostolo Antichristus ex-Filius perditionis. ornatur, titulus est, quod ἡνὶ τῆς ἀποδείας, id est, filium perditionis nominat. Hunc uero bifariam, actiue nimirū & passiuè, accipiamus oportet, sic ut primo ipse quidem perditus & damnatus sit, deinde uero omnes quoq; suos cōplices atq; sectatores



## Homilia

perdat ac damnationi mortiq; æternæ mancipat. Vt uero hic quoq; titulus Romano pontifici congruat, paucis demonstrari potest. Primo enim euangelicæ doctrinæ auctoritate omnes eos perditos & damnationi æternæ subiectos esse constat, qui in Iesum Christum nec credunt, nec illius doctrinæ fideiq; adherent. Christus enim uia est, lux & ueritas. Idem ostium quoq; est unicū, per quod omnes nos in ipsius ouile, sanctorum uidelicet ecclesiam, ingredi oportet, & quicumq; aliud ostium querit uel alia uia ingredi nititur, furem & latronem sese prodit. Vnde Ioannem Baptistam dicentem audimus: Pater diligit filium, & omnia tradidit illi in manum. Qui credit filio, habet uitam æternam: qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Porrò ibi salutem esse aliquam impossibile est, ubi Dei iram manere constat. Cum uero in filium Dei non credat Romanus Pontifex, nec in solo Christo unico mundi saluatore omnem spem ac fidutiam collocatam habeat, iram Dei super ipsum manere eundemq; damnationi mancipatum perditumq; esse oportet, Pontificem uero à fide in Iesum Christum ( qui pro nobis homo factus omnes nos pretioso suo sanguine in ara crucis redemit, morte sua mortis uires & imperium fregit, & gloriosa sua in cælos ascensione æternæ beatitudinis fores miseris nobis reclusit, nuncq; coram Deo cælesti patre patronus, ac intercessor noster unicus comparet, nobis quoque ad gratiæ thronum aditum tutum parans) quàm alienissimum esse, omnis illius tam uita quàm doctrina arguit. Nam si hanc uel obiter inspicias, non Christum unicam salutis uiam docet, sed præter hunc infinitas alias tradit, quales nimirum sunt Missarum toties repetita sacrificia, hypocriticum pœnitentiæ falsæ exercitium, Confessio commodissimum libidinis & nequitiae omnis

Ioan. 14.  
Ioan. 10.

Ioan. 3.



nis aucupium, indulgentiarum nundinae, Ignis purgatorij uim, sanctorum intercessionem & infinita alia. Quauis enim Christum Iesum mundi totius saluatorem uerbis & ore fateatur et eiusdem gloriatur nomine, eundem tamen toties abnegare solet, quoties alij uel diuo uel sancto uel etiam operi atque merito, quae solius Christi sunt, tribuit. Qua ratione enim hunc dicemus credere, Dominum nostrum Iesum Christum semel in ara Crucis immolatum perfectam & in omne tempus sufficientem pro peccatis nostris hostiam Deo patri obtulisse, qui eundem illum quotidie inter Missae celebrationem offerre conatur? Quomodo is se Christi merito peccatorum sordibus liberatum & plene redemptum credet, qui proprijs suorum operum meritis sese redimere instituit? Quomodo item Christum Iesum mediatorem, patronum, & intercessorem suum unicuique agnoscet, qui infinitos alios uel diuos uel diuas mediatorum & intercessorum loco habet? Atqui eò homines Pontificum doctrina redigi constat, ut tam haec quam alia multa Christo & doctrinae ipsius contraria sectentur. Simul ergo & hoc constat, Romanum Pontificem uidelicet à fide in Christum reuera alienissimum esse, etiamsi ipsum ore profiteri & illius nomine multum gloriari soleat. Id ipsum uero non obscurius uitae etiam exemplum testatur. Fides enim uiuens quaedam & indesinenter operans *εὐπρέπεια* ac uirtus est hominum animis minime otiosa insidens, non nuda quaedam (ut multi pseudochristiani sentiunt) & uana certisque rationibus destituta opinio, imò arbor bona est perpetuo succu uegeta, quae malos putresque fructus fert nullos, bonis uero Deoque gratis innocentiae & charitatis fructibus abundat semper. Atqui penes Romanos Pontifices charitatem nullam, nullam item uitae morumque innocentiam, sed & à fide & religione



## Homilia

uera eosdem illos alienissimos esse, modo sufficienti demonstra-  
tione probatum est: unde ipsum quoque bonam illam fidei synce-  
rae arborem animo suo nequaquam gestare constat, sed potius  
malam illam & inutilem, ad cuius radicem securis iam posita  
est, ut excisa & eruta in ignem illum gehennae conijciatur inex-  
tinguibilem. Quis ergo posthac Romanum Pontificem sancto-  
rum & fidelium caput esse agnoscat? Quis illum patrem sancti-  
tatis, imò ipsam quoque sanctitatem nominabit? Quis denique ipsum  
ducem salutis & caelestis portae ianitorem dicere poterit, cum  
propriae uitae exemplo et impiae doctrinae praeceptis ac sanctio-  
nibus se (iuxta Pauli apostoli sententiam) & Antichristum  
& perditionis filium esse prodatur? Hinc uero alterum illud si-  
mul colligitur, quod ut ipse perditus est, ita omnes quoque sua  
religionis ac sectae discipulos perditioni & morti aeternae man-  
cipet. Qui enim fieri potest, ut ad caelestem beatitudinis aulam  
peruenire possint, qui ducem rectis & constantibus gressibus  
ad inferos tendentem sequuntur? Quomodo item fieri dicemus,  
ut Christo Iesu unico omnium nostrum redemptori uniantur,  
qui eum legere ducem, qui Christo per omnia aduersus, suo il-  
lum honore priuat & eundem alijs impudenter tribuit? Hic  
ergo circumspectione opus est diligentissima. Hic ingenij uis  
res intendendae sunt. Hic mentis oculos aperiamus oportet,  
fratres in Christo charissimi. Nec enim res ludicra est (ut mul-  
torum fert sententia) Pontificum uis insistere & illorum reli-  
gionem retinere mordicus. Animarum salus periclitatur, cha-  
rissimi. Aut enim unici & solius Christi intercessione & bene-  
ficio patri caelesti uniamur, & aeternum uiuamus oportet, aut  
ab hoc abstracti cum Antichristo aeternum peribimus. Eoque  
gratius animabus nostris periculum instat, quod uerbi sui cog-  
nitionem nobis patere uoluit Dominus. Cum enim huius lux  
graves



graues illas & horrendas Antichristianismi tenebras discusse-  
rit, sic ut iam salutaris Christi facies, simulq; truculentæ hu-  
ius bestiae rictus et abominationum sedes oculis nostris pateat,  
nunquam posthac uel ignorantiam nostræ incredulitati præte-  
xere, uel Zeli nostri pietate & feruore illam excusare poteris-  
mus. In hunc enim finem uerbi sui regulam nobis præscripsit  
Deus, ut secundum huius præcepta ipsum ueneremur, nec stul-  
tum illum & omni ueri cognitione carentem carnis nostræ Ze-  
lum sequamur. Multis ergo lachrymis eorum contumacia de-  
ploranda est, fratres, qui cum uerbum domini auribus perci-  
pian & eiusdem ueritate in animis suis conuincantur, sic ut er-  
rores uidere & intolerabilem tantæ tyrannidis sarcinam sen-  
tire possint, agnitæ tamen superstitioni pertinaciter inherere,  
quàm Christum salutis uiam unicam sequi malunt. At cum eò  
peruenerint homines calamitosissimi, ut frustra moneas et hor-  
teris, propria ipsos libidini permittamus oportet. Hanc enim  
suam pertinaciam olim sibi magni constituram sentient.

VENIMVS nunc ad tertium, quo Antichristi perso- ἀντικρίστη  
nam Paulus depingit, titulum, qui ipsissimam eius proprietate- vos.  
tem, tantæq; abominationis ingenium certamq; notã, ob quam  
ANTICHRISTVS uocatur, continet. Nam ἀντικρίστη  
vos, id est, oppositum uocat, talem nimirum monstrare uolens,  
qui illi aduersus, contrarius & per omnia quasi oppositus futu-  
rus sit, cuius nomine & titulo unice gloriatur. Atqui Christi  
nomine ipsum gloriari constat: unde genuinus quoq; huius uo-  
cabuli sensus id docet, quod Christo domino oppositus omni-  
bus ijs quæ per Christum uel doctrina uel uitæ exemplo tradi-  
ta sunt, suæ doctrinæ sanctionibus, & suæ uitæ exemplo sit con-  
tradiçturus. Quod si ergo Romano Pontifici hunc quoq; titu-  
lum sufficienti demonstratione ceu proprium tribuere poteris



## Homilia

mus, euicimus utiq; omne hoc quod haftenus probare conati sumus, simulq; uerum illum & magnum ANTICHRISTVM Pontificem necessario esse constabit, etiamsi totius mundi reclamet autoritas: quæ si Dei uerbo contradicere uelit, prorsus nulla est. Quia autem quæcunq; in Christo Salvatore sunt, uita & doctrina ipsius, quasi duobus generalissimis capitibus compræhendi possunt, utrumq; consyderemus oportet, ut inde Romanum Pontificem Christo tã in uita quàm doctrina contradicere, & proinde ἀντιχριστὸν ipsumq; Antichristum esse constet. Et primo quidem de utriusq; uita agemus.

Christus Iesus uitam suam ita instituit, ut summæ humilitatis studium in omnibus suis dictis ac factis clarissime elucescat. Tanta enim humilitate et modestia usum legimus, ut non magistri aut doctoris instar, sed instar serui & famuli inter discipulos conuersatus sit. Huc etenim facit, quod non docenduntaxat, alendo, & defendendo, alijsq; rebus innumeris illorum commodis inseruijt, uerumetiam in Cœna illa celebri, quam cum ipsis ultimam habuit, omnium pedes abluit. Ab hoc autem Christianæ humilitatis spiritu tam alienus est Pontifex, ut immanissimorum tyrannorum instar, quorum dira & fœda est inter gētes quoq; mentio, pedes suos non ignobili duntaxat uulgo, sed & ipsis principibus, regibus & Imperatoribus, exosculandos præbeat, quin unctorum domini colla nefarijs pedibus calcare nō erubescit: quam insolēciam fortissimus Imperatorum Friderychus Barbarossa sustinere coactus est.

Ioan. 5. &  
12.

Christus gloriæ patris sui studiosissimus, hanc unice prouehere conatus est. Pontifex uero huius per omnia negligens, priuata gloriæ & proprio honori ita studet, ut nec armis parcendum arbitretur, si quis hunc aliqua ex parte læserit.

Christus potiorē uitæ suæ partē uel tēpus inter pauperum inopum,



inopum, egrotantium & afflictorum greges consumpsit, quin et ipse in extrema paupertate natus propter nos pauper factus est, sic ut non haberet quò caput reclinare posset, graue uero paupertatis onus patiēter, ut nos aeternae felicitatis beneficijs & opibus ditaret, sustinuit. Romanus uero Pontifex longe diuersa sequens studia, opulentissimorum potentissimorumq; commercijs gaudet, cum delicatissimis mollissimorum hominum gregibus colludit, comessatur, et omni uoluptatum generi indulget: adhuc ne quādo paupertatis causa ipsi sit fastus ille suus et luxus plus q̄ Syracusius, omnium nationum opes uel falso superstitionis fuco, uel etiā aperta ui & armis depraedari consueuit.

Lucæ 2.  
2. Cor. 9.  
Matth. 5.

Christus, cum regis titulum & coronam ipsi conferre uellet populus, fuga hūc honorem sibi declinandū putauit. Ioan. 6. Sed & regnum suum nequaquam de hoc mundo esse disertis uerbis testatus est. Pontifex uero regis titulū sibi uendicat, regnū quod de hoc mundo sit improbe affectat, & huc quidē omni studio et cunctis tam ingenij quam corporis uiribus incubuit semper, donec non regibus modo sed & Imperatoribus superior factus eos ad pedum suorum oscula supplices procumbere coegit. Quin se Imperij hæredem esse iactitat, si Imperator è uita discesserit. Clement. lib. 2. Tit. 11. Cap. 2.

Ioan. 18.

Christus maiori studio, ut patris sui uoluntatem propter quā missus erat exequeretur, usus est, quā ut eos q̄ iuxta carnem ipsi cognatione iuncti fuerunt, terrenis opibus & honoribus auctos eueheret. Pōtificum autē studia ac conatus huc plerumq; incumbunt, ut suos uel cognatos, uel affines, uel etiam spurios, maximis diuitijs donare & summis honoribus euehere possint. Et ut facilius id efficiant, non raro ecclesiae opes (quas illi S. Petri patrimonium plus satis impudenter nominant) alienare & in suos cōferre solēt: quod ut plures alij olim

Lucæ 2.  
Matth. 12.



## Homilia

fecere, ita noster hic Paulus Tertius palā facere non ueretur.

Christus legitimi magistratus potestati et legibus se submittere dignatus est, censuum item & teloniorum redditus uolens persoluit, et ab alijs consultus hæc illis persolui debere docuit. *Matth. 17. & 22. cap.* At melius sibi suisq; omnibus consulendum esse ratus Romanus Pontifex, immunitatem quadam ecclesiasticam commentus est, quæ suo charactere notatos homines omnibus legitimis publicisq; oneribus liberat, talesq; efficit, qui nemini nihil debentes hoc unum faciunt, quod suis inuenti uoluptatibus uentri & peni seruiūt, omnibus interim tam magistratibus quā subditis in hoc occupatis, ut suis opibus et laboribus hæc sanctissimorum patrum studia subleuent & sustentent.

*Matth. 11.*

Christi uita omnis pacis & mansuetudinis studio insignis, easdem uirtutes nobis quoq; commendauit. Pontifex uero saeuus, ferox, ira & unidictæ cupiditate tumens flagransq; leues ob causas horrenda quoq; bella mouere, & intestinis totos populos dissidijs miscere non dubitat, quod ipsum per annos quingentos ad nostra usq; tempora tam impudenter factitarunt, ut maiori demonstratione non sit opus.

*Ioan. 8.*

*Matth. 26.*

Christus uitam egit innocētem, inculpata & irreprehensibilem, sic ut nec aliorum testium mendacijs ipsi hostes quoq; aliquid pœna dignum in hoc uel inuenire uel etiam comminisci possent. Ab hoc autem innocentiae studio alienissimus Pontifex homo peccati est, peccato immersus & omni uitiorum generi, ut modo demonstrauius, per omnia deditus.

*Matth. 4.*  
*2. Cor. 1.*

Christus in discipulorum gregē pauperes assumpsit, uiles, ignobiles, simplicisq; ingenij homines. At prudentior in sua generatione uideri cupiens filius huius sæculi Rom. Pontifex, ex potentissimis Italiae, Galliae, Hispaniae, aliarumq; nationum familijs



familijs episcopos & Cardinales legit, ut horum postea fauore & autoritate munitus, hostium minas et uires tuto possit contemnere.

Christus ad Euangelij prædicationem suos ablegauit discipulos. Pontifex uero suos illos nusquam à se discedere permit-  
 tens illorū præsentia & fastu stipari cupit: uel si quos ablegat, non ut euangeliū prædicent, fidē doceāt et Christo lucrifaciāt aliquos, sed ut pecunijs colligēdis intenti, dolis, fraudibus, mendacijs, & imposturis principes ac populos fallāt, bellorum turbas & ciuiles motus excitent, præcipit. Matth. 10. & 28.

Christus ouium suarum curæ intentus fidelissimi pastoris officio functus est, dum ipse eas pauit & docuit assidue. Pontifex autem opibus & delitijs intentus ouium lanam, imò pelles & carnes ipsas rapit, de illis pascendis interim parum sollicitus. Ioan. 10.

Christus neminem hominum uel sibi uel doctrinæ suæ ad hæerere coegit, neminem quoq; uī in suas partes concedere conpult, sed amice & fideliter docēs hominū animos mouere studuit. Pontifex uero ceu Imperator quidā bellicosissimus, imò ceu Salmoneus quidā fictitijsq; Iuppiter excommunicationis tonitru, anathematismorum fulmina, quin externa quoq; tela & arma in omnes uibrat, quotquot à sua doctrina & superstitione deficere student: quod ipsum horrendus præsentis belli motus euidentissime probat. Lucæ 9  
Matth. 26.

Christus eos in mundum ad euangelij prædicationem emisit apostolos, qui spiritus sancti amplissimis donis, linguarum peritia & scripturarum cognitione instructissimi erant. Romanus uero Pontifex non Christi ouibus consulere, sed suis gratiam referre uolens sectatoribus, ecclesiarum curam ferè Curtianis suis, cocis, uenatoribus ac mulionibus cōmittit, qui Acto 2



## Homilia

Omni eruditione tam sacra quam gentilitia uacui, artibus autem nefandis, libidine item, & moribus corruptissimis sunt instructi.

**Matth. 4.** Christus cum hoste suo Sathana congressus, non armis mundi huius, sed gladio spiritus, nempe uerbo Dei, contra ipsum dimicauit felicissime. Pontifex uero huic diffidens, suos hostes mundi armis, insidijs, prodicionibus, latrocinijs, ueneficijs, ferro item & igne oppugnat.

**Matth. 9.**  
**Lucæ 19.** Christus dominus non semel dispersas cernens domus Israel oues, totis commotus uisceribus illarum defleuit infortunium. At nulla cura nulloque commiserationis affectu Romanus mouetur Pontifex, etiamsi totum Christi gregem misere per inculta humanarum traditionum deserta dispersum diuini uerbi paesca indefinens clamoribus, lachrymis & gemitibus quaerere & a sese animarum cibum postulare audiat, modo sibi ex Christi ouium fame uoluptuandi suppeditetur materia.

**Matth. 27.** Christus crucem, cui propter nos & peccata nostra affigendus erat, proprijs gestauit humeris. Pontifex uero eorum, quos Christus morte sua redemit, humeris molliter eniterque gestari consuevit.

**Matth. 27.** Christus corona è spinis complicata se redimiri passus est. Pontificem uero triplici corona, quae multo auro gemmisque radiat, superbire uidemus.

**Ioan. 10.** Christus suorum uitam ac salutem tanti fecit, ut illam morte etiam sua redimere dignatus sit. E contra uero priuatas delicias, uoluptates, pacem & libidinem tanto quaerit studio Pontifex, ut ob haec totas quoque nationes periclitari, oppida multa capi & diripi, agros uastari & multa hominum millia occidi uelit. Et licet se hac infamia liberare cupiat, proprij tamen facti exemplo hisce turbis et bellorum moribus ita se prodidit, ut id negare nullo modo possit. Quid multis? Si omnem Christi

sta



si uitam, mores & facta omnia cum Romani pontificis uita ac moribus conferamus, nihil inter hos simile, quin aquam non tam igni quam huius uitam & conatus cum illius moribus pugnare comperiemus. Omissa ergo uitae contemplatione, ipsam doctrinam quoque considerabimus.

CHRISTVS doctrinam suam talem esse testatur, quae **Matth. 5.** legem à Deo traditam nec soluat nec abroget, sed impleat potius & confirmet. Pontificis uero doctrina plures Deos monstrat, imagines plantat, serias nouas & multa alia diuinæ legi contraria instituit.

CHRISTVS Deum patrem suum caelestem in spiritu **Ioan. 4.** & ueritate adorare ac colere docet. Pontifex uero suum Deum, quem ille adorandum proficit, auro, argento, serico, bisso, cantu item & omnis generis instrumentis Musicis uenerari, multisque alijs externis rebus illius gratiam & fauorem demereri iubet.

CHRISTVS externam & inutilem posthac Ceremoniarum pompam suae doctrinae auctoritate abrogauit. Pontifex **Matth. 19. 21. 27.** uero cum ex his quaestum uideat uberrimum, easdem in ecclesiam reducit, nec id sine faenore.

CHRISTVS uendentes & ementes templo eiecit, & hos **Matth. 21.** quidem domum Dei, quae precationis domus esse debeat, latronum speluncam efficere docuit. Eosdem uero obuijs ulnis excipiens Pontifex, in templum Dei reducit, pristinis sedibus peruium & dolos occupatis restituit, imò mercatorum quasi princeps & Chananeus celeberrimus nouas merces commentus est, idque tanto cum quaestu, ut plumbum, ceram, membranas, et alias huius generis nugas, maioris multo, quam olim Iudaeorum sacerdotibus tauros, agnos, arietes, & iuuenos, uendere possint.

CHRISTVS discipulos suos magistratum saeculare gerere et **Matth. 18. 20.**



## Homilia

ut mundi huius principes regnare uetuit. At Pontificis hoc summum præcipuumque studium esse constat, ut sub falso ecclesie prætextu tam sibi quam Cardinalibus suis omnia mundi huius regna & eorundem titulum uendicet.

Mat. 28.  
2. Tim. 3. CHRISTVS doctrinam nobis tradidit perfectam & omnibus absolutam numeris, quæ homines sufficienter in omnibus ad salutem uitamque æternam pertinentibus instituat. At hanc suæ uindicationi incommodare uidens Pōtifex, eandem imperfectam esse, nec omnia, quæ ad fidei demonstrationem, religionis negotium & uitæ institutionem pertinent, hac contineri dicit, & proinde eidem subsidij loco Conciliorum Canones & Patrum quorundam traditiones, quæ suæ subseruiunt auiditiæ & libidini, submittit.

Ioan. 4.  
Rom. 8. CHRISTVS se unicam iustitiam nostram esse tradit, qua induti coram patre suo cœlesti comparere & illius iudicium sustinere possimus. Pontifex uero longe aliam suis traditionibus iustitiam monstrat, quam in nostris operibus, proprijs item uiribus & sanctorum meritis consistere docet.

1 Tim. 2.  
2. Ioan. 2. CHRISTVS se unicum nostrum mediatorē, patronum & intercessorem esse docet, & id ipsum Christi spiritu imbui fatetur apostoli. Pontificū uero doctrina aliquot patronorum & mediatorū millia nobis proponi uidemus: sed & noui quotidie mediatores eorundem Canonisationibus creati possunt.

Esa. 55.  
Ioan. 6. 7.  
Matth. 11.  
28. CHRISTVS peccatorum remissionem docet gratuita tam, cuius participes reddamur per solam fidem, nullis nostrorum operum meritis intercedentibus. At quæstum hinc uberrimum uenari uolens Romanus Pōtifex, peccatorum remissionem uenalem habens, pecunijs eam redimere docet.

Ephes. 5. CHRISTVS ceu unicū ecclesie caput per Euan gelij doctrinam describitur. Sed illum honorem sibi uendicans Pontifex,



*p*ontifex, se ecclesie caput esse dicit, idq; dicens hanc uel uero suo capite, Christo nimirum, spoliat, uel se quoq; caput constituens ecclesiam bicipitem, & monstrum quoddam teterrimum reddit.

CHRISTI doctrina unicum ecclesie sacerdotem monstrat, ipsum uidelicet Christum Dei filium, qui pro nobis homo factus semetipsum semel in ara crucis pro totius mundi peccatis immolarit, suoq; sacrificio eternam & sufficientem peccatorum remissionem inuenerit. Hoc autem tanto sacerdote non contentus Pontifex, sibi quoq; summi sacerdotij titulum uendicat, quin nouos etiam sacerdotes consecrare solet indies, qui Christum Iesum pro uiuentium simul & mortuorum peccatis quotidie offerant. Heb. 4. 5.  
9. 10.

CHRISTVS ueram Deoq; gratam pœnitentiæ formam præscripsit, secundum quã peccata nostra Deo, cui peccauimus, confitemur, ab iisdem in posterum desistimus, uitamq; emendamus, peccatorum uero remissionem non alibi, quam apud solum Deum quærimus. Ab hac uero longe diuersam pœnitentiam docet Romanus Pontifex, qui peccata nostra sacrificulo alii cui confiteri, & ab eodem (etiã si scortationi, ebrietati, gula, aleæ alijsq; uitijs innumeris immer sus fuerit) peccatorum remissionem petere iubet, eamq; simul peccandi licentiã improbis concedit, ut cum primũ pecunias, absolutionis mercedem, accepit sacrificulus et uana illa atq; hypocritica per illum iniuncta satisfactio transacta est, ad uomitum, ceu canes solent, redire & pristinae scelerum sentinae sese immergere liceat. Acto. 2.

CHRISTVS, Beatius (dixit) est dare, quam accipere. Acto. 20.  
At sententiam uerborum Christi luxui & libidini suæ aduersam uidens Pontifex, inuerso uerborum sensu ac ordine, Beatius (inquit) est accipere q̄ dare. Et sic quidem mendicantium monachorum ordines suis confirmans sanctionibus, paupertatem quandã, qua



## Homilia

nihil est uel delicatius uel lautius, ceu Christianæ uitæ ac fidei perfectissimam formulam cōmendauit. Prodierunt hinc impudentissima mendicantium simul aliorumq; ordinum monachorum agmina, qui impudenti sua procacitate omnes urbes peruaferunt, omnes pagos ac uillas perruperunt, omnibus itē tam oppidanis quā rusticis molesti: undiquaq; corrasere, agrosq; omnes atq; oppida ueluti locustæ quædam uoracissimæ depascentes uitam duxerunt omni luxu & libidine pollutissimam.

**Matth. 15.** **CHRISTVS**, Quicquid per os (inquit) ingreditur, nō  
**2. Tim. 4.** inquinat hominem: quorum autoritate Paulus apostolus nitens, omnibus à Deo conditis cum gratiarum actione nobis citra ullius peccati consciētiam uesci licere decet. Romanus uero Pontifex, ciborum discrimina cōmentus, non minimā Christianæ puritatis partem in externa manducatione sitā esse simplici uulgo persuasit: quin tam in his quā multis alijs maius multo ceremoniarum agmen inuexit, quā Iudæis olim sub Lege uiuentibus obseruandum fuerit.

**Matth. 19.** **CHRISTVS** à patre suo cœlesti institutum matrimonij statū suæ doctrinæ autoritate confirmauit, & huius spiritui instructi apostoli coniugium honorabile esse docuerunt apud omnes, thorūq; coniugalem esse impollutū: unde ecclesiæ & sacrorū ministris tam abest ut hoc interdixerint, ut potius episcopos & diaconos unius uxoris (iuxta primam dei institutionem) maritos esse uelint. Sanctissimum uero Dei institutum prophanum ac impurum æstimans, Romanus Pontifex, ecclesiæ ministros, si coniugati fuerint, dānandos & ceu hæreticos à sacris & ecclesiæ communionē arcendos censet: eosdem uero scorta alere, uirgines constuprare & aliorum thoros nefandis libidinibus polluere impune patitur.

**Acto. 6.** **CHRISTI** doctrina per apostolos spiritu Christi imbu  
**1. Cor. 9.** tos  
**2. Tim. 5.**



tos tradita, eam inter fideles bonorum ecclesie administrationem docet, ut per hæc uerbi ministerium sustetari, doctrina sacra ali ac prouehi pauperibusq; consuli debeat. Sed omnium horum oblitus Pontifex, quosuis sue sectæ proceres, principes, reges atq; Imperatores in hoc excitare solet, ut ecclesie bonis arreptis late serpenteo Euangelij doctrinam uel ac armis opprimant, & per hæc cōductis militibus Christi pauperes ferro & igne persequantur, ac in uniuersum deleant. Interim uero omnes eos, qui Christi doctrinam sectari solent, sacrilegos esse clamitat, hoc illos nomine grauare uolens, quod nulli melius quàm ipsi conuenire potest.

Sed quid longa singularum partium enumeratione opus est? Quò enim diligentius Pontificiæ doctrinæ capita cū Christi & apostolorum præceptis contulerimus, eò plus errorum, blasphemiarum & abominationum inuenire licebit. Nec tamen omnibus his contenta hæc bellua, simul etiam quæcunq; solius Christi sunt, sibi uendicare audet. Se enim totius ecclesie caput, ouilis Christiani supremum pastorem, primarium antistitem & regem, doctorem deniq; & sacerdotem summum esse iactitat. Quin maiora adhuc audens, Christū Dominū ecclesie & regno suo pellerere conatur, dum se illius uicariū esse dicit. Si enim Christi uicarius est Pontifex, Christus ecclesie suæ præsens non adsit oportet. Nā qui alicubi præsens officio suo ut par est fungitur, uicario nullo habet opus. Atqui Christus Iesus cum ecclesie suæ caput sit, à corpore suo, ecclesia inuicem, seperari nullo modo potest, quin ecclesie spiritu suo inuicem adest usq; ad mundi huius cōsummationem. Nullo ergo ueritatis patrocinio, sed blasphemandi impia cupidine motus Pontifex, se Christi uicariū esse iactitat. Hactenus itaq; abunde satis demonstratū esse arbitror, Romanum Pontificē hunc

Eph. 5.

Matth. 28.



## Homilia

tertium quoque, quo Paulus illum depingit, titulum ita mereri, ut omnibus modis sit *ὁ ἀντικείμενος*, id est, Christo per omnia oppositus & contrarius, cum omnis huius tam uita quam doctrina cum Christi doctrina atque uita ex diametro pugnet.

**Elatum supra Deum.**

**QVARTVS** nunc restat, quo Antichristum Paulus exornat Titulus, quem non uno complectitur uocabulo, sed pluribus describit. Nam *ὑπερκαρπόμενος* fore dicit *ἐν τῇ πάντῃ δεξιά μωρον θεοῦ ἢ ὀβασμα*, id est, elatum uel superbum, qui insigni arrogantia sese super omne illud efferat, quod Dei nomine uel appellatur uel colitur: quin eò usque (inquit) illius procedet insolentia, ut Dei instar in templo Dei sedē fixurus, & semetipsum quasi Deum aliquem ostentaturus sit. Consentit Pauli uerbis uir desideriorum Daniel, qui de Antichristi mysterijs loquens paruum illud cornu, quo ille figuratur, os habuisse dicit, quo grādia quaedā sonuerit: uerba nimirū faciens de rebus diuinis, de legum & temporum mutationibus, ac infinitis alijs, quæ in solius Dei potestate reposita constat. Et rursum cap. 11. de eodem loquens Daniel, sic ait: Rex autem aget pro sua libidine, seque efferet atque amplificabit præ omnibus Dijs, & contra Deū supremum loquetur mirifica quaedam. Et paulò post: Non curabit etiam Deos patrum suorum, non denique ullum Deum curabit: omnibus enim se præferet. Quod si uero omnia hæc quæ per Paulum apostolum & Danielem prophetā dicuntur, conferamus, mox quarti huius, qui Antichristo tribuitur, tituli sensus nobis patebit. Id enim uult dicere spiritus, Antichristū hominem fore summa arrogantia insolentiaque tumidum, qui ea sibi superbo ausu uendicaturus sit, quæ soli Deo tribuere conuenit, quæque in solum Deum competunt. Non quod ipsa Pauli uerba & literalem eorundem sensum attinet, nemo hominum sese Deum efficere potest, nec etiam alius Deus ullus est præter unum



ter unicum illum, solum & æternū Deum, licet quis arrogantiæ persuadendi auctoritatē coniunctam habens, eò superbiæ fastusq; deueniat, ut ab imperitis ac stolidis quibusdam pro Deo colatur ac adoretur, quemadmodum Caligulam & Domitianum factitauisse legimus. Nunc ergo Pontificum res nobis inspiciendæ sunt, num tales inuenire possimus, quæ hunc quoq; arrogantissimū titulum illis uendicent, ut sic solida nobis constet Antichristianæ personæ descriptio. Tales uero esse ex illorum dictis ac scriptis patebit.

Et primo quidem Deus natura is est, qui omnium rerum **Pontifex dī**  
**ESSE & Vita est,** à quo item res omnes uitam & idipsum **uinitatis ho-**  
 quod sunt, acceperunt atq; obtinent. Atqui hinc etiā est, quod **norem sibi**  
 Dominus noster Iesus Christus, Dei patris & Mariæ uirginis **uendicat.**  
 filius, uerus Deus & homo, ecclesiæ suæ **CAPVT** in scriptu-  
 ris dici consueuit, quod qui fide in ipsum præditi sunt, ex ipso  
 non temporariam modo, sed æternā quoq; uitam obtinent. Ut  
 enim ex humano capite, ceu fontis alicuius scaturigine uitalis  
 uigor in totum corpus membraq; omnia defluit, ac inde prout  
 singulis membris opus est distribuitur: Sic ex Christo Iesu om-  
 nia corporis ipsius membra, singuli fideles scilicet, spiritum ui-  
 tæ eamq; fidei uim percipiunt, cuius motu ac instinctu uitam  
 suam iuxta cælestis patris uoluntatē instituunt, uitāq; hac tem-  
 poraria defuncti æternum cum ipso uiuunt. Hoc enim capitis  
 officium esse, & Christum ecclesiæ suæ caput idipsum abunde  
 præstare, constat. Porrò si Romanū Pontificem, quem nos An-  
 tichristum dicimus, inspiciamus, eam illi arrogantiam inesse lu-  
 ce clarius patebit, qua se totius ecclesiæ caput esse aperte iacti-  
 tat. Quod si capitis titulo gloriatur homo insolentissimus, u-  
 tiq; ecclesiæ corpus ac mēbra singula uitales spiritus ipsamq;  
 uitam ex sese haurire dicit: quod ipsum dicere non potest, nisi



## Homilia

que Dei sunt sibi uendicans semetipsum Dei nomine superbum ostendet. Neq; hic Pontificiorū obiectiones multum moramur, qui hoc uno refugio tantæ infamiæ notā declinari posse existimant, quod nos Romani Pontificis titulū, quo se ecclesiæ caput esse gloriatur, subtilius æquo exponere & nimis arguta hinc elicere dicunt. Nec enim ideo (inquiunt) se ecclesiæ caput esse docet Pontifex, quod uel uitæ spiritū uel ipsam uitā sibi in se lentius uēdicare uelit, sed ut suā in oues Christi potestate quasi summus Christiani ouilis pastor testetur. O uanam defensionē & planè ficulneā. Vt enim Romano hoc capite Christi ecclesia nullo modo opus habet, ita nec eundem pastore suum agnoscit, cum Christus Iesus, qui ecclesiæ caput est, idē etiā gregis sui pastor sit optimus. Ephes. 5. Ioā. 10. Sed propius paulo uestra hæc inspiciamus, o fortissimi Pontificiæ dignitatis propugnatores. Quam enim istud conueniens erit, si Pontificē ecclesiæ Christianæ caput esse affirmare uolētes, eundē illū uitales spiritus ipsamq; uitā nec intra sese continere, nec in ipsum corpus ecclesiæ eiusq; membra distribuere dixeritis? Nōne ergo emortuū caput erit, spiritu & uitali uirtute uacuum? Et quid tum de ipsius dicemus ecclesia o boni? Væ corpori illi infirmo & debili, uæ membris claudis & luxatis, quorū caput uita caret & spiritu. Quomodo enim uiuentē ac uegetā dicemus eam ecclesiam, cuius caput uos ipsi uitali spiritu in reliqua membra distribuēdo carere fatemini? Iamne ergo uestros errores agnoscetis homines ineptissimi? Iamne intelligitis, o stulti & quauis talpa cæciores Sophistæ, quorsum uestra hæc recidant, cum Pontificē ecclesiæ totius caput esse dicitis? Hæc enim dicendo, uel Deum facitis, & proinde Antichristum quoq; hunc esse proditis, uel si caput quoddā, è quo nullus in membra reliqua

uita



uitæ spiritus defluat fingitis, uosmetipsos ecclesiã esse fatemini debilem & languentem, cui non ullus inest uitæ spiritus. Quod si uero spiritum uitæ non habetis, utiq; nec Christi ecclesia eritis. Hæc enim & spiritum Christi & in ipso uitam possidet. 1. Ioan. 5. At emortuum caput nunquam se esse agnoscet Romanus Pontifex: quapropter dum hoc titulo superbit homo insolentissimus, sese in templo Dei sedens Deum esse iactitat.

Sequitur nunc aliud quiddam, quo non minus, quàm priori isto, sese Deum iactitat, & supra unicũ uerumq; Deum effert Pontifex. Nam Pater sanctus dici gaudet, & nec hoc plus satis arroganti titulo contentus, ipsius quoq; S A N C T I T A T I S nomen sibi uendicat. Testes nobis hic erunt quotquot huius sedis cultores sunt deuotissimi, qui dum de hoc uerba faciunt, miro studio Pontificiam Sanctitatem nominant, nec ciuile nec pium existimantes si Pontificem nude dixerint. Quod si uero ipsa est Sanctitas, ut illi dicunt ipseq; dici uult, alios quoque sanctificare possit oportet, quin ab ipso sanctificati erunt, quotquot sancti sint & dicuntur. Diuersam uero ab his longe sententiam ex scripturis sacris edocemur, ô fratres. Hæc enim unicum & solum Deum proprie per se & ex sese sanctum, adeoq; ipsam sanctitatẽ esse docent: simulq; quod quicũq; ob fidem sancti dicuntur, non ex sese nec propria uirtute, sed à Christo Iesu per sanctum spiritum sanctificati, id est, à peccatorum sordibus purgati, Deoq; consecrati sint. Et possunt hic plurima produci è sacræ scripturæ libris, quæ id ipsum euidentissime testantur. Christus certe de regenerationis (per quã nos innouari ac sanctificari oportet) mysterio apud Ioannẽ cũ Ioan. 3. Nicodemo differens, nos ex aqua & spiritu uel aère nasci oportere dicit. Vbi nõ aliud q̄ dei gratiã sanctiq; spiritus operatio nem intelligi notius est, q̄ ut longa demonstratione habet opus.



## Homilia

Eiusdem sententiæ & argumenti sunt, quæ à Paulo in priori ad Corinth. epistola cap. 6. scribuntur, in hæc uerba: Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Quibus quid dici potuit breuius? quid item de nostra sanctificatione apertius et magis dilucide? Omnem enim, quæ ex hominibus aliunde consingi potest, sanctificandi rationem tollens, nos à solo domino & saluatore nostro Iesu Christo ablui, iustificari et sanctificari docet, idq; per sanctum Dei nostri spiritum, qui & ipse Deus est. Sed & hinc est, quod aquæ in scripturis cõferri solet sanctus spiritus, quod nimirum ut corporis sordes aqua abluit, sic ipse animas purgat & expiat. Eandem ob causam igni quoq; confertur idem spiritus, quod sua uirtute animos nostros non illuminat modo, sed etiam quod in nobis terrenum, carnale & peccatis obnoxium est, consumit. Atque ut hæc solius sancti spiritus uirtus est, ita nullus in scripturis usquam sanctificator alius nobis monstratur, præter solum hunc, qui & ipse uerus Deus & eiusdẽ cum Deo patre & filio substantiæ & uirtutis est. Quando igitur sanctitatis nomen sibi uendicat homo impurissimus omnisq; libidinis & sceleris mancipium Pontifex, simul etiã spiritus sancti uim & operationem eadem arrogantia sibi uendicans, & usurpans semetipsum Deum (ut Paulus inquit) esse iactitat.

Ad eundem titulum illud quoq; pertinet, quod benedicendi gratiam ipsamq; benedictionem non minus insolenter sibi arripit, eaq; in literis suis omnibus superbit, dum salutem & benedictionem dilectis suis filijs magna cum grauitate precari solet. Atqui sacræ scripturæ autoritas benedictionem salutis nullam aliam monstrat, præterquam solam illam, quæ in promisso semine, Iesu Christo, ueteribus simul & nobis est proposta. Gene. 3. 22. cap. Galat. 3. Quamobrem dum hæc superbit Pontifex,

Acto. 2.



Pontifex, hic quoq; Christi Iesu gloriam sibi uendicat, & intolerabilis insolentiae fastu contra ipsum uerum & solū Deum sese effert.

Facit huc aliud quoq; nempē peccatorum remissio, quam solius diuinæ gratiæ ac misericordiæ opus esse scripturis omnibus ita probatum est, ut Iudæorum etiam scribæ ac sacerdotes (ut cunq; excæcati & contumaces) id ipsum non ignorarint. Atqui Romanus Pontifex hanc ipsam ita sibi transcribit, ut & multa scripturæ loca improbe peruertat, & maximam suæ tyrannidis partem huius prætextu exerceat. Hinc enim exorta est pertinax de clauibus, de ligandi & soluendi potestate, de Christi ouibus pascendis, & alijs rebus innumeris disputatio. Hinc auricularis confessio, sacerdotalis absolutio, pœnitentiæ fucate exercitium, casuum reseruatorum carnificina, indulgentiarum nundinæ, & infinita alia ad conscientiarum excruciationem excogitata prodierunt, quæ omnia si penitius inspiciamus, quæcunq; solius diuinæ gratiæ ac uirtutis, & meriti Christi sunt, Pontifici suisq; omni scelerum sentinæ immergis sacrificulis, monachis, episcopis & Cardinalibus tribuunt. Quapropter hic quoq; semetipsum Deum constituens, super unicum & uerum Deum effertur.

Non ignoro tamen quid hic obijciant tam ipsi Pontifices, quam qui illorum partes strenue defendunt. Nec enim, inquit, hæc et alia huius generis sibi uendicat Pontifex, quasi suæ & propriæ uirtutis sit ista facere, sed à Deo traditam acceptamq; in ecclesia potestatem exercet, diuina nimirum uirtute per ipsum erga peccatores operante. Diluit enim excusationē hanc omnem ipse Dominus, qui apud Esaiam prophetam cap. 42. disertis uerbis sic pronūciat: Ego dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam scul-



## Homilia

ptilibus. Quæ uero alia est, quam à nobis recipit, Domini gloria, quam quod ipsum saluatore, redemptorem, iustificatorem, sanctificatorem, unicuique suæ salutis authorem agnoscunt fideles? Hæc cum alteri non det, & cum primis sculptilibus, quæ abominatur tantopere, non det, utique nec Romano Pontifici nec cuiquam alij concessit, qui sculptilia faciendo ac colendo his similes facti sunt. Non ergo est quod diuinitus accepta uocet Pontifex, quæ ipse temerario & sacrilego ausu sibi arripiat.

Porro, si omisis omnibus istis ipsorum Canones & decreta inspexerimus, tum demum mirabilia illa & grandia audiemus, quæ Antichristus, iuxta Danielis uaticinium, contra Dominum proferre consuevit. Nec enim contenti totius ecclesiæ ac Christiani orbis dominium Romano Pontifici uendicasse, quin etiam penes ipsum quiduis uel præcipiendi uel prohibendi potestatem & eam auctoritatem esse scribunt, ut ipsi parere necessario omnes oporteat, etiam in ijs, quæ uix tolerabilia præceperit. Ad hæc, ulterius progressi hominibus reliquis omne de hoc iudicium negant, eam illi auctoritatem tribuentes, ut à nemine mortali in quocumque facto suo illum iudicari debere dicant. Sed ipsam audiamus bestiam loquentem.

Agatho Papa omnibus episcopis *Distinct. 19.* sic scribit: Sic omnes sanctiones apostolicæ sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina uoce Petri firmatæ. Rursum Bonifacius octauus *Extrau. com. lib. 1. Tit. de Maioritate et Obedientia*, uniuersum bestię huius mysterium sic complectitur, ut uel solus ille locus Pontificem eum esse probare possit, quem nos esse dicimus. Primo enim, postquam unicam probauit esse ecclesiam, huius primatum & dominium per quam egregia argumentatione sibi uendicat. Hæc est (inquit) tunica illa incosuilis, quæ scissa non fuit, sed sorte peruenit. Vbi bona fide hæc dicit Bonifacius. Si enim

enim



enim forte ad Romanos Pontifices peruenit Christi tunica, ecclesia, utiq; illi non Petri apostoli, sed impiissimorum carnificū successores sunt, qui sub cruce spectante domino super uestē ipsius fortē miserunt. Sic suo iudicio forex proditur. Sed pergamus: Igitur ecclesie unius & unice unū corpus, unū caput, nō duo capita, quasi monstrum, Christus uidelicet & ipsi uicarius Petrus Petriq; successor. Quam aperta autē in his contradictio? Vnicū ecclesie caput esse dicit, ne monstrū faciat ecclesiam, & hoc ipsum dicens duo tamen longe diuersa capita illi imponit, Christū uidelicet uerū deum & hominē, & Petrū hominē mortale et peccatorem, qui se nō propria iustitia sed Christi merito liberatū ipse fatetur: quin seipsum quoq; impudenter ingerūt. Quomodo igitur hic se expedient patres sanctissimi? Num Christū & Petrū unū & eundē esse dicent? Atqui id nullo modo possunt. Sed Petrū non ipsum uerum caput, sed ueri capitis Christi uicarium esse dicunt, & rursus huic quoq; semetipsos successores substituunt. Quando igitur, o boni, a suo corpore recedit Christus, ut Petro uicariatus locū det? Quando itē tam Christo q̄ Petro absente ad uos capitis officium & gloria redit? Videmini certe ecclesiam idolis similem facere ijs, quibus duo sunt capita, quorū alterū profestis diebus gestare, altero autē uenustiore non nisi in ferijs sibi sacris superbire solent. Sed ne facile rideri posset monstri huius pater Bonifacius scripturarū authoritate niti uoluit. Hæc enim sic credi debere dicit, dicente Domino ipsi Petro, Pasce oues meas. Meas, inquit, & generaliter, nō singulariter has uel illas: per quod cōmissis sibi intelligitur uniuersas. Siue ergo Græci siue alij se dicāt Petro eiusq; successoribus nō esse cōmissos, fateantur necesse est, se de ouibus Christi nō esse, dicente domino in Ioan. Vñ ouile & unicum esse pastore. Quis non ad hæc obstupescat fratres?

*Sigilz manu*



## Homilia

Quis non argumēti uim horreat? Christus Petro dixit, *Pasce oues meas, ergo Pontifex ecclesie caput est. Egregia cōclusio. At unde probabitur oues Christi pascere idē significare, quod ecclesie caput esse? Num ergo Paulus Ephesiorum presbyteris loquens, eosq; gregi dominico episcopos præfectos esse dicens, tot fecit ecclesie capita quot illic erant presbyteri? Vel quid alijs iniunctum dicemus discipulis dicente domino, Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ? Num illos, ut oues Christi pascant missos esse, negabitis? Hoc tamen euincetis, si euangelium nec animarum cibum nec leta conscientiarum pascua esse probaueritis. Sed ut hæc demus uobis, quid Christo cum Belial, cum Simone Mago, cū Rom. Pontifice cōmune est? Sed oportet ut in scripturis quoq; perfricta fronte grassentur, qui in humanis omni pudore sunt uacui. In eodem autem Canone pergens Bonifacius omnē quoq; sæcularem imperatoris potestatem sibi uendicat, ne de diuina disputans alteram illam amittat. Tandem uero scopum suæ disputationis urgens Canonem concludit: Quicumq; igitur huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Manicheus) fingat esse principia: quod falsum & hæreticum iudicamus: quia testante Moysse, Non in principijs, sed in principio cælum Deus creauit & terram. Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus **OMNINO ESSE DE NECESSITATE SALVTIS.** Nouū ergo hic nobis fidei & salutis articulū condidit Bonifaci? Atqui eas oues saluari dicit Dominus, qui ipsum pastorem sequantur, ipsius uocem agnoscāt, per ipsum in ouile ingredi studeant. Sed parum hæc ad Pontificum tyrannidem luxumq; stabiliendū faciunt. Romano Pontifici ergo necessario parendū esse dicunt. Iamne ergo*

ergo



ergo grandia illa & mirabilia agnoscimus, quæ Antichristum locuturum esse prædixit Daniel?

Transeamus autem ad alia, quò planius hæc uidentes facilius quoque continere possimus. Nam 9. quæst. 3. Gelasius Papa episcopis per Dardaniã constitutis scribit in hunc modum: Cuncta per mundum nouit ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum sedes beati Petri apostoli ius habeat resoluendi, utpote qui de omni ecclesia ius habeat iudicandi. Et iterum: Cuncta per mundum nouit ecclesia, quod sacrosancta Romana ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus. Huc facit, quod Ca. Quanto, de translato. episcopi Tit. 7. scribitur: Papa dicitur habere cœleste arbitrium, & ideo etiam naturã rerũ immutat, substantialia unius rei applicando alij. Et de nihilo potest aliquid facere, & sententiam quæ nulla est, aliquam facere. Quia in his quæ uult, ei est pro ratione uoluntas. Nec est qui ei dicat, Cur ita facis? Ipse enim potest supra ius dispensare, & de iniustitia facere iustitiam, corrigendo iura & mutando. Nam plenitudinem obtinet potestatis. En grandia illa et mirabilia Antichristi uerba, fratres in Christo charissimi: quibus Deo non similis modo, uerum etiam maior & excellentior uideri cupit. Nec enim se de nihilo duntaxat aliquid posse facere dicit (quod solius diuinæ potentia ac uirtutis est) quin etiam iuxta Danielis uaticinium ipsa iura quoque & leges suo arbitrio subiacere docet, adeo ut in illis pro ut ipsi libitum fuerit dispensare, & quod iniustum est, iustum facere possit, imò ipsam iniustitiam pro iustitia habendam esse, si sic ipse censuerit: & ne quid audaciæ desit, uetus illud & tyrannis proprium usurpat, Sic uolo, sic iubeo, sit pro



## Homilia

ratione uoluntas. Quia in his (inquit) quæ uult, est illi pro ratione uoluntas. Nec est, qui factorum rationem & causas ab ipso exigere possit. O infamiam. O inexcusabile Christiani nominis dedecus. Quid ultra uel Iudæorum somnia ridemus, uel Mahometis execramur blasphemias, cum maiora inter Christianos homines magisq; atrocia hætenus impune dicta & non sine religione audita sint? Pudeat nos nostræ ignauitæ, pigeat nos tantæ socorditæ, pœniteat etiam impiæ in audiendis tam atrocibus blasphemijs patientiæ. O stultos qui hæc non uident, ô impios qui cum uideant, audire tamen & ferre posæ sunt. Licet enim dira & atrocia sint quæ diximus, sequuntur tamen magis dira, magis blasphema, magis atrocia, quæ illi dicere non uerentur. Nam Distinct. 40. Ca. Si Papa, sic scriptum legimus: Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur inuicilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus **INNVMERABILES** populos **CATERVATIM** secû ducit **PRIMO MANCIPIO** **GEHENNABAE** cum ipso plagis multis in æternum uapulaturus: huius culpæ istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus **A NEMINE** est iudicandus, nisi si deprehendatur à fide deuius. Audite, ô fratres, grandia & horrenda Antichristi uerba, imò non audite, quin potius auribus atque animis uestris, ne his polluamini, expuite. Quis enim Christianus hæc audiat? quis æquo ferat animo? Eam uidemus, ô fratres, Dei ergo nos propensionem, eam modestiam ac iustitiæ studium, ut is ferè iudiciorum suorum omnium miseris nobis & breui perituris mortalibus rationem reddere non dedignetur. Hic uero homo peccati, perditionis filius, libidinis omnisq; nequitie propudium, Cynædorum &  
Seda



Sodomitarum stipatus gregibus, nullius hominum iudicio subiacere, nulli mortalium suæ functionis rationem reddere uult, etiamsi infinitas plurimorum hominum animas, pretioso redemptas Christi sanguine, & innumerabiles populos communi generis humani hosti diabolo ad æternæ damnationis carnificinam mancipauerit. Et hic est qui se ecclesiæ caput & unicum ouilis Christi summumq; pastorem esse iactitat. Num ergo capitis est in propria membra furere, ferro & flammis perdenda obijcere? Num pastoris est in gregem plus quam lupina rabie grassari? Si corpora suorum lædat episcopus, si famæ suorum temere officiat, si bona turpis lucri studio auferat, officium illi abrogant Canones apostolici: Et hunc in ipsas animas grassantem impune tota feret ecclesia? Cæterum ut aliquo saltem prætextu blasphemiae atrocitate lenirent, illud addendum esse putauerunt: NISI DEPREHENDATUR A FIDE DEVIUS. Egregia scilicet additio, ô Canonistæ stupidissimi. An ergo fidei opera hæc esse dicetis, si innumerabiles populos æternæ gehennæ ignibus Papa mancipet? Vel num fidem eum habere dicemus, qui quos sua morte & effuso sanguine Dei filius Christus ab inferis asseruit, inferorum subiicit supplicij? Sed non sine numine hæc addita est Canonis huius conclusio. Sic enim constat Pontificum fidem non uiuificam illam & saluificam esse, cui iustitia salusq; in scripturis tribui consuevit, sed alia quædam ab hac longe diuersa, quæ ut penes eos esse potest, qui hominum animas à salute abstractas perditioni mancipant, ita omnes quoq; ipsius legibus parentes à Christo unico mundi redemptore abstrahens, salute priuat, & damnationi subiicit. Et hæc quidem uestris hisce ita fatemini, ut nullis rationibus uos uestramq; fidem ab hac tanta infamiæ nota liberare possitis.



## Homilia

Accedunt his multa alia huius generis, quibus suam insolentiam homines audacissimi produnt. Huc enim pertinet, quod egregij illi Iuris Pontificij commentatores non semel inculcant & urgent, Papam nec hominem nudum esse nec Deum, sed Dei uicarium, & mixtum quiddam ex Deo & homine. Extāt blasphemæ istæ uoces in 6. Decretal. lib. 1. de Elect. & elect. potestate Tit. 6. in Ca. 17. Item in Clementinarum proœmio. Sed hæc & infinita alia, quibus illorum libri scaſcent, breuitatis studio omittimus. His enim, quæ modo diximus, abunde satis demonstratum est, hunc quartum quoq; titulum Romano Pontifici per omnia congruere, & sic quidem, ut nulli alij hunc Paulus apostolus, si uel nunc ad uiuos redeat, concessurus foret. Proprium ergo & germanum Antichristi, id est, Romani Pontificis, nomen, propriosq; eiusdem titulos didicimus, qui ingenium quoq; illius omne summa cum perspicuitate depingunt. Et sanè, si illum audiamus, Seruus seruorum, ecclesie Christiane caput, Iesu Christi uicarius, cœlestis portæ ianitor, pater sanctus adeoq; ipsa sanctitas, Petri item & Pauli successor dicitur. Quod si uero Paulum apostolum & Danielelem prophetam, sancto spiritu illuminatos homines, audiamus, longe alios illius titulos cognoscemus. Dicitur enim & id merito quidem, Homo peccati, libidinis propudium, scelerum & uitiorum sentina, filius perditionis, qui ut ipse perditus & damnatus est, ita omnes alios suæ uoci parentes perditioni mancipat, magnus item & insignis ille ἀντικείμενος, qui Christo per omnia oppositus cū ipsius uita ac doctrina ex diametro pugnat, tyrannus etiā insolentissimus, arrogantissimus fastuosissimusq;, nec super hoïes modo miseros & mortales, uerum etiā super ipsum omnipotentem & immortalē Deum blasphemio pectore elatus. Mirentur ergo illum, colant, adorent ac  
sequantur



### Tertia.

51

sequantur, qui perire quàm saluari malunt. Nos uero, fratres  
in Christo charissimi, Deo patri & filio eius Iesu Christo, summo  
nostro Regi ac Pontifici unico, gratias agamus indefinenter,  
qui tantæ abominationis sentinam nobis reuelare, nosq; ex  
illius tyrannide liberare, & uerbi sui patrocínio asserere di-  
gnatus est. Oremus item, ut & alios in ueritatis suæ cogniti-  
onem inducere, nos autem ea fidei constantia munire uelit, ut  
in agnita ueritate perseuerare, et in medijs tribulationum pro-  
cellis atque fluctibus ipsi constanter seruire & indiuulsi ad-  
hærere possimus: ne cum perditionis filio Antichristo ætera-  
num perdamur, sed salutis ac regni ante mundi constitutio-  
nem præparati reddamur participes, per Dominum nostrum  
Iesum Christum, unicum nostrum redemptorem & sala-  
uatorem: Ipsi gloria, laus & gratiarum actio  
in nunquam finienda sæcu-  
la, Amen.

G 3



## Homilia

RODOLPHI GVALTHERI  
TIGVRINI DE ANTI  
christo Homilia IIII.

### ARGVMENTVM.

Continetur Homilia hac euidentis operum & armorum Antichristi descriptio: simulq; ostenditur in quos ipsi operibus & armis suis grassari liceat.

**Q**UEM ADMODVM singulis hominibus non utile modo & salutare, uerum etiam ad salutem consequendam necessariū est, ut Domini & saluatoris nostri Iesu Christi cognitionē ueram, certā ac solidā habeant, quō fide etiā firma ac constanti huic inniti, ac per ipsum salutē uitamq; eternam consequi possint: Sic non minus utile ac necessarium est, ut hisce nouissimis diebus eos quoque agnoscamus, qui sese falso Iesu Christi, id est, saluatorum ac redemptorum nomine uenditant: in quorū numero cum primis magnus ille & insignis Christi Domini omniumq; fidelium aduersarius, uerus nimirum Antichristus, cognoscendus est, ut illius dolos, astutias, fraudes & conatus perniciosissimos uitare, simulq; damnationē, quam suis parat & conciliat, effugere possimus. Porro, cum multæ de hoc extent fabulæ falso Sathanae spiritu confictæ, quibus tam abest ut in illius cognitionem penetrare possimus, ut potius excæcati & seducti fallamur, ad scripturæ sacræ ueritatem infallibilem respiciamus oportet, ut huius doctrina ducti ipsum reuera agnoscere discamus. Quapropter duos ex hac locos planissimos ad huius rei declarationem nuper produximus, in quibus tria hætenus capita demonstrata sunt, quæ Antichristi ingenium ac proprietates depingunt, & quis nam ille sit, ceu digito monstrant. Consequens ergo est, ut ad quartum caput nunc transeamus, quo opera ipsius potissima



potissima, quibus ille intentus est ac sese prodit, declarantur. Quamuis uero eadē hęc in ijs locis, quę ante citauimus, comprehendantur à Paulo apostolo & uiro desideriorum Daniele propheta, quia tamen in ijs explicandis illic breuiores sunt, Danielis cap. 11. hic nobis inspiciendum erit, in quo de Antichristi mysterio multa cognitu dignissima, in primis uero de operibus ipsius hęc traduntur: Homines inducet, qui fœdus impie deserant, ut subdole agant per hypocrisim: populus autem cognoscentium Deum constanter aget. Rex autem aget pro sua libidine, seq̄ efferet atque amplificabit præ omnibus dijs, & contra Deum supremum loquetur mirifica quædam, uteturq̄ prospera fortuna, donec consumetur indignatio, cum ad extremum peruenerit impietas. Non curabit etiam Deos patrum suorum, nec mulierum concupiscentiam: non denique ullum Deum curabit, omnibus enim se præferet. Colet autem in sua diuione Deum Mayzim, & Deum quem patres ipsius non nouerunt, honorabit auro & argento & gemmis alijsq̄ rebus pretiosis. Et uertet in munimenta Dei Mayzim cum alieno Deo: quem qui agnouerit, eum honoribus augebit, & dominum multorum faciet, & terram pretio distribuet. Et paulo post: Qui etiam dominabitur thesauris auri & argenti & omnibus rebus pretiosis, &c. Et hęc quidem Danielis prophetae uerba sunt, quibus sex principalia describuntur Antichristi opera, quibus postea septimum quoq̄ ex eiusdem Danielis cap. 7. supra citato, coniungemus. Hęc autem ordine inspicientes, simul etiam ut eadem hęc in Papatu à Romanis Pontificibus exerceantur, consyderabimus.

Primū, quod Antichristo Daniel propheta tribuit, opus est, 1. Fœdis fragos reddit. quod hoies inducturū dicit, qui fœdus deserant, & ab illo desiciant improbe. Atqui de magno illo, insigni, eximio et saluifico

IIII. Antichristi opera.



## Homilia

ſædere hic loquitur, quod æternus, omnipotens & cœleſtis pater, cum hominibus miſeris, qui natura filij iræ et damnationis ſumus, inire dignatus eſt. Deſcribitur hoc per Moſem Gen. 17. & per Ieremiam prophetã 31. cap. Duobus uero capitibus uel articulis cõprehenditur. Primo enim Deus qui ſummũ & æternũ bonũ, adeoq̃ omnis boni fons eſt unicus, ſe noſtrũ Deum, noſtram ſaturitatem & perfectã omnium rerum ſufficiẽtiam eſſe dicit, ſimulq̃ tam ſeipſum quã omne hoc quod habet, noſtrum fore pollicetur. Secundo autem illud uiciſſim à nobis requirit idem ille, ut ipſius populus ſimus & peculium, coram ipſo ut populũ ipſius decet, ambulemus, ipſi obediamus & ſeruiamus, non ut noſtræ rationis ſuadet peruerſitas, ſed ut ipſe uerbi ſui authoritate præcipit. Præcipit uero, ut ipſum ſolum & unicum Deum noſtrum agnoſcamus, Deos alienos præter ipſum nullos habeamus, quæramus uel colamus: idola, ſculptilia uel imagines qualeſcunq̃ faciamus nullas, & ab alijs factas nullo uel ritu uel geſtu corporis, multoq̃ minus animi deuotione ueneremur, ſed ab omni idololatria tam interna quã externa ſimus alieniſſimi: ut item nomen ipſius ſanctum nec uiolemus nec prophanemus, quin factis & dictis noſtris omnibus, tota deniq̃ uita celebremus & honoribus pro uirili proſequamur: ut tempus illud omne, quod ſuis cultibus ac beneficiorum operumq̃ ſuorum meditationi ſacrum et deſtinatũ eſſe uoluit, nullis prophanis uſibus polluendo ſimul etiã indefinites agamus à prauis operibus & ſtudijs ferias: ut deniq̃ in omnibus ijs quæ tam ipſi quã proximo noſtro debemus officijs ſi dei & charitatis legibus ita nos accõmodemus, ut populus ſimus ſanctus, quemadmodum & ipſe ſanctus eſt. Leuit. 19. & 20. Quamuis uero propria carnis noſtræ infirmitate et natura corrupta circumuenti, ea quæ ad nos ſpectant ſæderis capi  
ta nuna



ea nunquā præstamus ut par erat, imò nec præstare possumus, minime tamen nos reijcere & à regni sui hæreditate repellere uult clemens et misericors pater: quin ut fœdus ille nobis prior obtulit, ita nostræ etiam infirmitati subuenire uolens, filium suum unigenitum, IESVM CHRISTVM, tradidit, qui uerus homo nobisq; per omnia (solo peccato excepto) similis factus, omne hoc quod à nobis pro sua iustitia Deus pater requirebat, ipse præstitit, legiq; per omnia satisfaciens, tandem pro nobis etiam mortuus est, suoq; pro nobis effuso sanguine fœdus illud Dei & testamentum salutis nostræ (quemadmodum in ultima Cœna cum discipulis habita ipse testatus est) plenissime confirmauit. Hoc, inquam, illud fœdus est, cuius hic mentionem faciens Daniel, Antichristum eum fore dicit, qui homines ab hoc fœdere abstracturus sit, sic ut illo deserto bonis etiam in hoc sibi promissis spolientur. Pontificem uero hoc ipsum sua doctrina, & suæ religionis sanctionibus facere, nullo negotio demonstrari & à quouis hominum percipi potest.

Nam quòd primum fœderis articulum & Dei, quæ nobis exhibetur, promissionem attinet, longe alium Deum per suam doctrinā & religionē proponit Pontifex, quàm fœderis uerba describant. Hæc enim Deum per omnia nostrum fore pollicentur, sic ut ipsi uniti & coniuncti ex eodē quoq; abundantissime quæcunq; ad salutē necessaria sunt, haurire possimus. Papa uero talē nobis Deū fingit, qui fastuoso alicui et terreno principi, imò immani cuidam tyranno similis nullius preces & supplicatos libellos recipiat, neminem quoq; ad colloquiū admittat, nullius item causam audiat, nisi qui uel munusculis illius fauorem impetrarit, uel multis precibus ac donis aulicorum intercessionibus redemerit. Et sic quidem extremæ desperationis



## Homilia

author fuit miseris hominibus, ea enim constans omnium ferè  
fuit sententia, ut nemini peccatorū labe infecto Dei cōspectum  
patere crediderint, imò nec licere peccatori misero, ut ad iusti  
Dei patrociniū refugere audeat. Vnde deserto Deo unica il  
la humani generis omnīsufficienti plenitudine ad idola con  
uersi illa coluerunt, auro & argento uenerati sunt, & san  
ctorum intercessionē impetrare cupientes, pecunias suas om  
nes, uestes, fruges, ipsa denique pecora adduxerunt, ut  
eos habere possent magis propitios, & proinde illorum patro  
cinio & intercessionē tui in Dei cōspectum procedere. Quid  
uero hoc aliud dicemus, quàm crassissimam numinis ignoran  
tiam: qua excæcati homines Deum illum non agnouerunt am  
plius, qui in fœderis pacto se nobis non beneficium modo &  
elementem, sed & nostrum omnino cum omnibus suis bonis  
fore pollicetur. Adhæc illud quoque sua religione palam pro  
diderunt, quod non ullam Iesu Christi uel cognitionem, uel  
memoriam habuere amplius, in quo fœdus hoc salutis nostræ  
confirmatum, & per quem spiritus adoptionis & filiorum  
Dei nobis traditus est, qui adoptioni nostræ testimonium fe  
rens, in animis nostris facit, ut Deo fidere & ad illum Abba  
pater clamare possimus. Nec enim ad hunc, qui unicus noster  
intercessor est, conuersi sunt, sed Diuorum et sanctorum patro  
cinia magis consequi cupierunt, etiamsi Christum Dominum  
alta uoce & disertis uerbis clamantē audirent, VENITE  
AD ME omnes qui laboratis & onerati estis, & ego re  
quiem uobis præstabo. Quæ uerba si uel animis suis retinuis  
sent uel intellexissent etiam, uidissent utiq; sibi licet maximis  
peccatoribus ad solum Christum recurrendum fuisse. Pate  
tur enim his Dominus, se non iustos uel per omnia integros &  
perfectos (tales enim in toto hominum genere nulli sunt) uo  
care,



care, sed eos, qui peccatorum sarcina onerati pressiq; animarum pacem & quietem nusquam alibi inuenire possunt. Hos uero non aliò ablegat, nec alibi pacem & solatium quærere, sed ad se uenire iubet, ut penes se intolerabilem hanc sarcinam deponant, & pacem quietemq; sibi paratam percipiant. Et quis nam est hominum, qui sub Papatus legibus uiuentes hoc fœderis articulo fideliter stetisse uel etiam nunc stare, dicere possit? Nõne omnes illos fœdus hoc deseruisse, animarum item solatium & remedium, Dei gratiam ac æternæ uitæ salutem alibi locorum quæsuisse, libere fatendum erit? Nec id modo, sed & hoc fateamur oportet, nos nec altero illo, qui ad nos spectat nostramq; uitam instituit, stetisse fœderis articulo, utpote qui Deo cœlesti patri longe alio ritu & modo seruire soliti fuimus, quàm ipse sibi seruari uelit: qua de re paulo post copiosius differemus. Porrò, cum quæ modo dicta sunt, nullo modo negare possimus, simulq; constet, nos Pontificum decretis & Pontificiæ religionis sanctionibus huc dementiæ & impietatis perductos esse, primum illud, quod Antichristo tribuit Daniel, opus in Romano Pontifice iam depræhendimus, quem eum esse iam demonstratum est, qui à Dei fœdere homines abstrahens ut Deo simul bonisq; diuinis spoliatur, efficit.

SECUNDO loco Antichristum homines inducturum dicit, qui subdole agant per hypocrisim, tales nimirum, quorum fides, religio, sanctimonia, uniuersum deniq; totius uitæ institutum hypocraticum & à ueritate alienissimū futurū sit. Tales uero in Papatu Pōtificiæ religionis et doctrinæ traditionibus homines effici omnibus uel mediocriter intentis ita constat, ut nulla prolixiori disputatione sit opus. Quid enim uniuersam illam, quæ in Papatu exercetur, religionē, aliud q̄ hypocrisim

2. Antichri-  
stus Hypo-  
critarum  
pater.



## Homilia

Et falsæ cuiusdam sanctimonie simulationem dicemus, quæ in  
externis quidem officiosa et sedula res magnas planeque diuina  
nas pollicetur, quas si inquirere uelis propius, nullas inuenies.  
Et primo quidem qui inter hos spirituales dicuntur, et Monachi  
cum primis, inspiciantur, qui omnibus reliquis sanctiores re  
ligiosioresque uideri dicique uolunt, et hypocrisim, quam illis tri  
buit Daniel, clarissime uidebimus. Cum enim Ordinem susci  
piunt Monasticum, uota ferè faciunt huiusmodi: EGO fra  
ter N. promitto Deo auxiliante, perpetuam continentiam, ca  
rentiam proprii, et obedientiam tibi pater N. et successoribus  
tuis Canonice instituendis secundum regulam beati N. et se  
cundum constitutiones Capituli nostri generalis. Tria ergo  
uouet homines illi sanctissimi, Paupertatem nimirum, eamque  
uoluntaria, quam illi (ut Latine elegantissime studiosissimi sunt)  
carentiam proprii uocant, Obedientiam item et Continentiam,  
cuius nomine Castitatem et Veneris abstinentiam intelligunt.  
His iam externa ferè omnia respondent, sic ut non uerbis mo  
do et scriptis, sed etiam Chrys quibusdam hæc ipsa profiteantur.  
Monasterio enim inclusi latet, ut se solitarios agere, à mun  
do separatos et ab omnibus mundi studiis alienos esse testentur.  
Sunt, quorum regula, ne ullam pecuniam manibus contre  
ctent, prohibet, quod ipsi uoluntariae illius quam uouerunt pau  
pertatis typum esse uolunt. Obedientiam tunc se plenam ac  
perfectam præstitisse dicunt, si uel Abbatis uel Prioris (ut ipsi  
uocant) imperio subiecti uiuant. Sunt qui albis uestiti tunicis  
castitatem et uitæ puritatem uestitu profitentur. Sunt quos ni  
gra uestis mortificationis, qua peccato indies mori debent, ad  
monet. Sunt, qui funibus cincti se in singula momenta ad pieta  
tis studium et cultum Dei accinctos et paratos esse, sed et re  
nes libidinis sedem cinxisse iactitant, ne quando cupiditatibus  
uicti



uicti libidine peccent. Incurui & ad terram demisso uultu incedunt, ut se mortales & terrenos esse meminerint, ac proinde nullis mundi huius studijs immersi, caelestia assidue meditentur. Et talis quidem est uita illorum omnis & quaecumque faciunt, mores item, gestus, ieiunia, uigiliae, cantus, lectiones, & omnis quam excercet externa religio: sic nimirum ut omnibus istis mira quaedam sanctitatis profiteantur mysteria. Quod si uero eorundem uitam & opera cum externis hisce conferas, eos tam egregie omnia, quae profitentur, simulare uidebis, ut nec ipsa hoc faeliciter possit hypocrisis. Mundum se deseruisse dicunt, cum nemo hominum mundo mundi que studijs magis, quam illi, immersus uiuat. Nec enim omni modo uoluptatis genere affluunt, uerum etiam omnibus mundi huius desyderijs & operibus totis animis student. Ipsi respondeant uelim, num alicubi terrarum plus inuidiae, plus odij, plus maleuolentiae, plus superbiae, plus contentionis, ambitionis, rixarum & litium, quam in monasterijs a mundo hoc (ut illi aiunt) separatis, monstrare possint. Quae uero eorundem paupertas est & carentia propria? Haec nimirum, quod in maximis opibus uersantes toti mundo ceu potentissimi principes imperitant, nec aliquam uel paupertatem, uel rerum necessariorum inopiam sentiunt. Quin eos inuenire licet, qui cum uel perquam exiguo uel etiam nullo prorsus patrimonio instructi sint, monasterium aliquod ingressi paupertatem profitentur uoluntariam, ibi uero omnibus abundantes uitam degunt nullius rei indigam, tandemque uel Abbates, uel Priores, uel Prouinciales, uel etiam Episcopi ac Cardinales, quin etiam Pontifices creati in summum opulentiae, uoluptatis & Imperij fastigium conscendunt. Et tamen paupertatem se uouere dicunt, qui eas occasiones captant, quibus potentissimis principibus ac regibus superiores fieri possunt.



## Homilia

Sunt ergo astutissimi illi Diomedes, qui etiam non animaduertente Glauco, rudi nimirum plebecula, aenea aureis permutat. Nec multum diuersa ab his inuenies, si illorum obedientiam, quam uouent, inspicias. Ea enim obedientia contra omnes magistratus & praesides superbiunt palam, quod se immunes nemi nisi mortaliu quicquam debere iactant. Si quid ab illis legitimum & a deo institutum magistratus exigat, mox sua praetexunt immunitate ecclesiastica, quae illos ab omnibus communis populi ac reipub. oneribus liberat. Quod si illos quis urgere uelit & in ordine cogere, mox arma proferunt, excommunicationum fulmina et Romanae sedis tonitru, quod multis malis edocti hactenus ipsi quoque Imperatores timere didicerunt. Quae ergo aliam dicemus illorum obedientiam, quam quod omnium domini magistratus ludibrio habent, populi totius seruitio abutuntur, et ceu Penelopes sponsi & telluris inutile pondus, ea ociosi deuorant, quae uix multis laboribus multorum hominum acquiri possunt & congeri? Id ipsum de eorundem Continentia & Castitatis studio dicemus, si uerum uelimus dicere. Ea enim castitate insignes sunt, quae ne frustra Patres dicantur prohibet: qua nimirum orbem uniuersum spurijs replere, uirgineo pudori ubique infidias struere, matronas omnes cuiuscumque loci aut ordinis ad stupra sollicitare soliti fuerunt, & id quidem tanta cum impudentia, ut nec inter ipsa sacra sua libidini imperandum esse censuerint. Huc enim pertinent tot inter Missarum solennia diabolicis artibus parata philtrea. Huc faciunt tot inter confessionis murmur sollicitatae uirgines & matronae. Huc faciunt simulati quorundam morbi, qui sacrificulis monachisque ipsas comprimendi occasiones praebuerunt. Et haec quidem ita omnibus notissima sunt, ut uix aliquod tam ignobile suburbium pagumque tam uilem inuenire liceat, qui non aliquo libidinis

nis



nis exemplo per hosce nobilitatus sit. Taceo nunc scediora ma-  
 gisq; nefanda, de quibus suo loco nonnihil agetur. At quis ille  
 est, o fratres, qui istiusmodi homines introduxit? q; tale miseris  
 populis pondus & onus imposuit? Romanus nimiru Pontifex,  
 qui illoru Ordines & regulas no modo sui testimonij & suffra-  
 gij autoritate confirmauit, uerum etiam ne quis illum sua hac  
 ta egregia prole plagiarius spoliare possit, filios suos dilectis-  
 simos in omnibus suis literis nominat. Pontifex ergo ille ipse  
 est, qui iuxta Danielis oraculum hypocritas uere magnos &  
 insignes creauit, qui omnia sua circa fidem, religionem uitamq;  
 externam omnem subdole & falso cum praetextu egerunt.  
 Huc autem non eorum modo, qui spirituales dicuntur, uita  
 moresq; pertinent ( qui per omnia monastica uita, utpote eius-  
 dem patris genuini filij, similes sunt) sed uniuersa omnium ho-  
 minum sub Papatu uiuentium religio huc referri debet, quae  
 & ipsa non aliud quam mera quaedam est hypocrisis: quod, ut  
 multa alia omittamus, uel sola poenitentiae formula, quae per  
 hanc traditur, docere poterit. Licet enim totius anni spatio o-  
 mnium peccatorum sentina immersus uitam omni scelerum  
 et uitioru genere pollutam uixisses, unicu illud quadragesimae  
 tempus, in peccatis quoq; perseuerantem, sanctu iustumq; effi-  
 cere potuit. Vt primum etenim a carniu esu per id tempus ab-  
 stinens sacrificulo alicui, tibi perquam simillimo et proinde ma-  
 gis etiam propitio, sceleru tuorum cath. logum omne in aurem  
 uel sinum obmurmurauisti, eudem premio aliquo lautiori deli-  
 niuisti, Missamq; redemisti unam atq; alteram, mox omniuna  
 peccatorum plenaria remissione impetrata, eandem uita ra-  
 tionem denuo exordiri & iisdem uitijs atque sceleribus ite-  
 rum temetipsum impendere licuit. Ad haec luce clarius con-  
 stat, nullum peccatum tam enorme, tam dirum, atrox &



## Homilia

nefarium committi posse, quod non Romanis bullis uelari & illius sedis autoritate cōdonari ac remitti queat. Quæ cum sic fieri soleant, fateantur oportet uel inuiti omnes Papistæ, Romanum Pontificem summæ hypocriseos authorē patrēq; hypocritarum fœcundissimum, etiam alterum illud Antichristi opus summa fide ac studio præstare, et proinde iuxta Danielis uaticinium pro uero Antichristo esse habendum.

3. Deo se  
præferens  
colit Mayz  
zim.

TERTIVM Antichristi opus describēs Daniel sic ait: Non curabit etiam Deos patrum suorum, non deniq; ullum Deum curabit, omnibus enim se præferet. Colet autem in sua ditione Deum Mayzim, & Deum quem patres ipsius non nouerunt, honorabit auro & argento, & gemmis, alijsq; rebus pretiosis. Vbi Mayzim, id est, munitionum Deum uocat Daniel, ea intelligens, quæ Antichristo robur & uires, atq; potentiam collatura sint. Porro, ut quæ hic à Daniele dicuntur per Romanum Pontificē impleta sint, intelligamus, primo loco quis nam Deus patrum nostrorum sit, deinde qui nam Deum Mayzim, id est, munitionum & roboris colere dicantur, inspiciendum erit.

Patres nostri quorum nomine nos gloriari decet, sunt electi illi & excellentes, qui tam ueteri quam nouo Testamento celebrantur, Dei cultores, & inter hos Abraham cum primis, quem ob fœdus cum Deo initum & excellentem fidem ei uirtutem scripturæ sacræ patrem fidelium nominare dignantur. Hos uero omnes tales nobis proponunt sacræ literæ, ut qui eum solum & unicum Deum agnouerint, qui cælum & terram unum eum omnibus quæ his continentur condiderat, quiq; in humani generis redemptionem filium suum sibi coæternum & consubstantialem præstitit temporibus in mundum hunc missurus erat, ut is unico corporis sui sacrificio in ara crucis omnes infidentes



credentes à peccato & peccati pœna, morte nimirum & damnatione æterna redimeret. Eundẽ Deũ apostolos quoq; agnouisse legimus, qui solum hunc nobis quoq; cognoscendum in scriptis suis proposuerunt. Eundem etiam, nec ullum alium nostri quoq; maiores agnouerunt, quorũ traditione duodecim Symboli apostolici articulos, omne fidei ueræ mysterium continentes, accepimus. Atqui Deum hunc unicum mundi Creatorem & Saluatorem non agnoscit Romanus Pontifex, sed huic se præferens Deum Mayzim, id est, munitionum, roboris ac potentia colit: hoc est, eum sibi Deum commentus est, cuius cultus et religio ipsum maximis opibus, honore et gloria adauxit. Quod ipsum ut plenius intelligamus, ita accipiendum erit, fratres dilectissimi.

Si Pontificem ipsum audire uelimus, ore quidem eundem illum, quẽ in Symboli apostolici articulis nos agnoscimus, Deũ profitebitur, sed in hoc quoq;, ut in omnibus alijs, hypocritam agens talem non credit, qualem profiteri consuevit. Si enim ipsius traditiones inspiciẽs ipsum urgeas paulo prescius, illum nequaquam credere uidebis, Deo patri filium esse, qui pro nobis homo factus semelq; in ara crucis pro nobis oblatus peccatorum remissionem, iustitiam & salutem humano generi impetrauerit. Sed longe alium Deum ipse fingit, qui per sacerdotum carmina indies adiuratus in panem uel panis speciem descendat, panisq; substantia in ueram corporis Christi substantiam commutata à sacerdotibus in altari per singulos dies sæpius pro peccatis mortuorũ & uiuẽtium offeratur. Et quid nam hic cum eo simile habet, quem in Symbolo nos à mortuis resurrexisse, in cœlum ascendisse ibiq; ad Dei patris omnipotentis dextram sedere dicimus, donec ueniat ad iudicandum uiuos & mortuos? Nonne nouum plane & à maiorũ patrumq;



## Homilia

Deo diuersum uidemus: Diuersa enim plane sunt incarnari & in panem descendere, semel in ara erucis & saepius in altari immolari, per seipsum semel & per sacerdotes alios millies quotidie offerri, in caelos ascendisse et in Ciborio auro inclusum latere, ad dexteram patris in caelesti regno usque ad iudicij diem sedere, & quotidie a sacerdote adiuratum corpore suo in panem descendere. At hic est Deus ille munitionum & roboris, cuius cultu & patrocinio ad summum potentiae simul & dignitatis fastigium subiectus est. Postquam enim rudi uulgo persuasum fuit, sacerdotum uerbis Iesum Christum, uerum Deum & hominem, caelitus euocari, & manibus eorundem consecratis eundem contrectari proque hominum peccatis offerri, ea statim illorum apud omnes fuit autoritas, ut ab omnibus summo in honore habiti sint, & uix quisquam tam temerarius fuerit, ut sibi contra hos aliquid impune audendum esse putaret. Auxit diuinitatem illorum & potentiam hoc quoque, quod Deum hunc suum, uerbis suis creatum, alijs quoque manducandum praebuerunt, non quibusuis autem, sed ijs dumtaxat, qui ipsis ante omnia sua perperam uel dicta uel facta confiteri dignati fuerant. Hoc enim Confessionis per ipsos confictae mysterio omnium hominum animos expiscari, conatus omnium exquirere, cogitationes omnes inuestigare, quin per suos illos Confessores ad intima Principum regumque consilia penetrare potuerunt. Hoc enim omnium illorum sacramentum fuit, quo Romanae sedis obstricti fuerunt, ut pro uirili omnium conatibus atque consilijs obstare, & quocumque modo ea impedire deberent, quae Romano pontifici eiusque sedi nocitura cognouissent. Quapropter, ut primum principum aut Regum aliquis Romano Pontifici suspectus esse coepit, ut qui huius dignitati, siue potentiae minus faueret, mox Confessorum artibus ita se circumueniri & urgeri



geri sensit, ut non facta modo, sed & omnes conatus & consilia sua ipsum confiteri & in illorum sinus deponere oportuerit. Hi ubi quid periculi Romanæ sedi oboriturum uel etiã paruum esse uiderunt, rem omnem Præsuli suo enarrare iurisiurandi religione coacti sunt. Is uero alij se superiori eandem significans, illum quoq; rem suo Præsuli, uel Archiepiscopo denũciare iussit, cuius opera tandem ad ipsum quoq; Pontificem deuenit. Hic autem re cognita facile aliquid moliri potuit, quod omnia contra se instituta principum consilia subuerteret. Et hanc quidem obccusam factum uidemus, ô fratres, ut nemo uel Regum, uel Principum, imò nec Imperatorum quoq;, ea uel in rebus agendis prudentia uel fortitudine instructus inueniri potuerit, qui Romanorum Pontificum tyrannidem sibi inuisam uel infringere, uel subterfugere posset: quin plures etiã horum cõsilijs & artibus debellati & oppressi sunt. Maior enim fuit Dei Maximi potentia, quam ut hanc sustinere potuerint, ut primũ aduersus Antichristi, Romani Pontificis, tyrannidem aliquid tentare ausi sunt. Testari hoc potest ex multis alijs Heinrichus Imperator eius nominis Septimus, qui cum in Italia moras Pontifici minus gratas neceret, mox per uenenum altaris Sacramento submissum Monachi Senensis ex Prædicatorum ordine opera in castro Boniconuentus (ut uocant) sublatus est. Quod factum legimus anno à natali Iesu Christi 1313. Porrò ut nouum hunc Deum è propriæ rationis figmẽto nobis genuit Pontifex: ita cultus quoq; eidẽ nouos instituit. Nec enim hũc ita coluit, ut uerum Deum coli oportet, spiritu nimirum & ueritate: sed ut Daniel propheta prædixit, auro, argẽto, gemmis, & alijs rebus pretiosis, quod negare non poterunt, cum totus ille cultus, quo occupati sunt, nobis scum faciat. Vt enim nouum hunc Deum Maximi colere



## Homilia

possis, aureo calyce & patella itidem aurea uel saltem in auro  
ta opus est. Adhibetur & uestitus ex bysso aut purpura auro  
& gemmis radians. Lucent ubique suffixa cerea & per totum  
templum suspensae lampades. Resonant tecta cantu & orga-  
nis, adeo ut si singula probe examines, cultus ille omnis aulicæ  
potius uitæ splendorem & fastum, quàm religionis speciem re-  
ferat. Hoc uero tertium illud Antichristi opus est, quod excel-  
lentissimum prophetarum Daniel ipsi tribuit.

4. Non cu-  
rat mulierū  
cōcupiscen-  
tiam.

QVARTO, non curabit (inquit) mulierum concupi-  
scentiā, id est, nullo erga mulieres amoris affectu legitimo du-  
cetur. Nec enim de turpi fœdōq; amore ac Veneris impuro  
studio, hic uerba facit Daniel, sed naturalem illū legitimūq;  
amorē intelligit, quem in prima rerū origine ad humani gene-  
ris generationem conseruationemq; hominum animis in seuit  
Deus, simulq; illius gratia sacrosanctum matrimonij vincu-  
lum instituit, hominem non solum uiuere uolens, sed matrimo-  
nij uel coniugij (quod unius uiri & unius fœminæ legitimam  
Deiq; institutioni conuenientem coniunctionem dicimus) le-  
gibus constrictum. Huius amoris, coniugalis nimirum, affe-  
ctum Antichristus (ut Daniel inquit) non curabit, nec ali-  
quo illius desiderio tenebitur. Ceterum ut quæ hæcenus à  
Daniele dicta sunt, in Romanum Pontificem competere de-  
monstrauimus: ita hoc quoque non minus euidenter demon-  
strari poterit. PRIMO enim de sacrosancto matrimo-  
nij statu, quem à Deo ordinatum totius scripturæ autoritas  
commendat, ita loquuntur isti homines, ut hunc prophanum  
& pollutum esse sentiant. Quomodo enim non prophanum &  
pollutum putabun, cum sacrorū & ecclesiæ ministros ab hoc  
alienos esse uelint, & ne hi coniugij legibus astringantur, pu-  
blice quoque uetent? Et ut hoc proprium Antichristi opus es-  
se intelli-



se intelligeremus, circa prima statim initia huic intentus esse cepit, cum iam olim iniquitatis mysterium operaretur. Nam, ut historici testantur, Imperante Constantino Magno in Nicæna Synodo non defuerunt qui episcopis, presbyteris & subdiaconis cœlibatum iniungendum esse putarent: quorum sententia tamen tunc temporis per Paphnutium, uitæ sanctimonia, & fidei constantia insignem uirum, repressa est. Hic enim nuptias honorabiles confessus, & castitatem esse dicens concubitum cum propria coniuge, suasit Synodo, ne talem ponerent legem, quæ aut ipsis aut eorum coniugibus, fornicandi occasionem subministraret. Quamuis uero prima uia non successisset, idem negotium alia aggressi, non ante destiterunt, quam modo hos modo illos in suam sententiam pertrahendo uoti composites facti sunt: quod ipsum tamen apud Germanos uix sero tandem, annis nimirum ab hinc retro quingentis Henrycho quarto Imperante, per Gregorium septimum, omnis impietatis & nequitie mancipium, impetrari potuit. Qui uero ex hoc instituto fructus promanarint, pluribus enarrare non est opus. Clamat enim hic, uel loquente nemine, illorum libido, clamant stupra, clamant adulteria, quibus totam polluerunt ecclesiam.

Porro, si uel solum muliebris amoris uel consortij desiderium hoc loco accipiamus, de sanctissimis hisce & beatissimis (si dijs placet) patribus dicendum erit, quod dictu fœdum & turpe, quin & Christianis auribus intolerabile esset, nisi rei ueritas dicere cogeret. Dicendū nempe, hos nō tam mulierum & legitime Veneris desiderio, quam nefando Sodomie ac insanæ libidinis furore teneri, quā olim cœlitus demissis flammis Deus excidit, & simili supplicio excindere præcepit. Hanc uero ita sectatur, imò in hanc ita furit homines nephandissimi,



## Homilia

ut impune ea patrari ac tam ab ipsis quam aulicis ipsorum fieri constet. Testes hic erunt, quotquot unquam malo aliquo infortunio in *Ausoniā* illam *Sodomā* delati, in *Pontificum*, *Cardinalium* & *episcoporum* curias aulasque penetrauerunt.

s. Remunerat sectatores suos.

QVINTO Antichristus eos quoque beneficijs suis remuneraturus esse dicitur, qui suum illum Deum *Mayzim* colere, uenerari & agnoscere dignabuntur. Tria autem hic præmiorum genera *Daniel* commemorat. Primo enim honoribus, id est, titulis & nominis gloria ipsos adaugebit, ait. Secundo dominos multorum faciet. Tertio terram quoque illis pretio distribuet. Quæ si inter *Pontificum* acta et res gestas requiramus, sic ut à *Daniele* prædicta sunt, inuenire licebit.

Primo enim peculiare illorum opus est, suos magnificis honorare titulis & insigni illustrare splendore nominum. Sic *Pipinum* Christianissimi regis titulo exornauit olim, eò quod *Romanæ* sedi opem ferens Deum *Mayzim* ex *Langobardorum* manibus asseruit, terris item & ditione amplissima donauit. Cuius tituli honore hodie quoque *Francorum* reges superbiunt. Similiter *Anglorum* regē quoque nouo titulo, annis ab hinc retro circiter uiginti, ornare uolēs *Christianæ* fidei Defensorem nominauit, eò quod in *Lutherum* accerrimum *Romanæ* sedis hostem ac *Pontificiæ* tyrannidis malleum inuictissimum, magno cum conatu, tantumnon regie dignitatis oblitus, stylum strinxisset. Sed quid Reges & populos enumerare opus est, quorum alij *Serenissimi*, alij *Catholici*, alij *apostolicæ* sedis defensores dicuntur, cum ingens hic se nobis *Pontificiorū* Præsulum cætus istiusmodi titulis superbiens offerat? In his enim sunt quos *Cardinales* uocāt, quasi ueros ac firmos *Christianæ* ecclesiæ cardines. Sunt, qui ceu noui *Abrahami* patresque credentium non patres modo, sed & *Patriarchæ* dici meruerūt.

Sunt



Sunt quos Episcopos, ut qui ecclesie curis intenti, speculatorum ac uigilum officio fungantur, nominare oportet. Pertinet huc Illuminatissimi Doctores, Magistri nostri, Reuerendi, Reuerendissimi, Seraphici, hæreticorum mallei, filij dilectissimi, & infinita alia, quæ uel ambitionem ipsam superare posse uidentur. Et hi quidem honores illi sunt, quibus suos cultores auget Pontifex. Vt uero hos splendidis titulis exornare consueuit, ita rursus omnibus honoribus & dignitate spoliati dira & horrenda audiunt, quotquot illius tyrannidem exosam habent. Hos enim, quasi impios dicere parum sit, tunice Christi inconfutiles laniatores, ecclesie turbatores, sponsæ Christi corruptores, seductores, hæreticos, sacrilegos, proditores, & deploratæ uitæ homines esse clamitant, nec ullum conuiuij genus tam atrox & horrendum est, quod non in hos effundendum esse existiment.

Deinde alterum quoque iuxta Danielis prophetiam addens Romanus Pontifex, sui Dei; sui Mayzim cultores dominos & principes regesque constituit. Huc enim pertinet, quod circa suæ potentie ac tyrannidis principium Chilperychum Francorum regem ob sedati mitisque ingenij modestiam sibi minus idoneum regio fastigio deiecit, Pipinum uero hominem rerum agendam peritiam simul ac felicitate instructum sibique egregie fauentem, Fræciæ uel Gallie regem constituit. Eiusdem generis est, quod Pipini filium Carolum patris uestigia magno studio sectantem Imperatoria potestate donat, reiectis, quibus ob inobedientiam insensus erat, Græcis Impatoribus. Rursus huc illud quoque adnumerari debet, quod postea Francorum quoque regibus simili Pontificum audacia euenit. Cum enim hi alijs occupati Romanæ sedis minus industrie seruirent, nec ut è maioribus ipsorum factitatum erat, ad quæuis Pontificum iussa obediētes essent et morigeri,



## Homilia

imperio ad Germanorum principes delato eos rerum dominos constituit, à quibus ob data fortitudinis & industriæ specimina, meliora quædam sperare poterat. Sed his omisis Pontificum familiares & domesticos inspiciamus, Cardinales nimirum, Episcopos, Abbates & reliquos Præsules: quos omnes eò potentia opulentiaq; euectos uidemus, ut principibus superiores, ipsis quoq; regibus sint formidabiles. Sua enim ditione premunt, terrenorum principum instar, oppida, arces, totosq; populos. Armis etiam exercitibusq; instructi nulli principum cedunt, quin contra quosuis pro suo dominio dimicant, simulq; Pontifice acerrimo suæ tyrannidis propugnatore tuti impune grassantur. Si quis enim huius impatiens cõtra illorum superbiam aliquid moliri cœperit, Pontificum excommunicationibus, tonitribus ac fulminibus totus obruitur: & si hæc ceu bruta fulmina contemnere pergat, mox aliquem potentissimorum principum contra se excitari sentit, cuius uires sustinere non possit.

Accedit his tertium quoq; quod Antichristo tribuit Daniel, quod nimirum non titulos modo & honores imperij, sed & ipsas terras præmij & mercedis loco ijs distribuit Romanus Pontifex, qui in sui Dei cultu operam strenuam nauare consueuerunt. Et sanè ea arrogantia inflatum uidemus, ut totius orbis caput regnorumq; omnium hæredem ac dominum sese iactitare non erubescat. Vnde illud promanare uidemus, ut princeps quosuis, si ipsi suspecti aut inuisi habeantur, regno terrisq; suis exuat, moxq; substituatur alium, quem suis conatibus & studijs magis idoneum senserit, quin ius quoq; concedit, ut quos ille eijci uult, eijciant & regnorum, nullo aliàs uel diuino uel humano iure ad se pertinentium, administrationem inuadant. Tale quid factum legimus circa annum à nato mundi saluatore 1300. cum Gallia regnum Alberto Romanorum regi addicens



addicens Pontifex, Philippum regem auita possessione deijcere uoluit, eò quod Romanorum auaritiæ regni sui aditus occlusisset. Idem Moguntino quoq; archiepiscopo Pij Pontificis opera atq; consilio euenit. Cum enim de immodicis Pontificiæ exactionibus, quibus Germaniæ episcopatus omnes deprædabantur, nonnihil conquestus suæ curæ commissos per illorum artes ac dolos posthac non amplius spoliari uellet, mox episcopali honore ac dignitate per Pontificem exutus, & nouus illi eiusdem Pontificis iussu est surrogatus episcopus. Fuit ea res grauissimarum dissensionū ac bellorum causa, quibus plures Germaniæ principes, ijsq; potentissimi, exercitati fuerunt. Finis uero Tragœdiæ funestissimus extitit. Tandem enim Moguntina ciuitas, post graues & funestas clades prodicione capta, ciuium sanguine tota maduit, omneq; quod superbi uictoris insolentia suadet libidinis genus perpeffa, libertate quoq; sua misere spoliata est: ut quæ ante imperialis ciuitas fuerat, in hunc usq; diem nefandæ episcoporum ac sacrificulorū libidini subiacere cogatur. Sed quid uetera cōmemorare opus est, cum præsentia de his abunde satis testari queant? Postquam enim Germania Dei uerbo illuminata oculos recepit, & Pontificiæ tyrannidis iugo excusso nec Pontificem ecclesiæ caput agnoscere, nec suum illum Deum Mayzim uenerari ac colere dignatur, non contentus miseros & diutina fame rerumq; omnium charitate afflictos bellis petiisse, quinetiam, quò auidius in nos grassentur immanissimi milites, Germaniam totam omnesq; eius opes suis prædæ esse uoluit. Sic uero quintum hoc Antichristi opus, iuxta Danielis prophetæ uaticinium impleri necesse est, ut nimirum regna terrasq; pro sua libidine prænij & mercedis loco ijs distribuat, qui suū illū Deū Mayzim colunt.

SEXTVM, quod eodem in loco illi per Danielē tribuitur

¶. Domina-  
tur thesau-  
ris auri, etc.



## Homilia

eur, opus hoc est, quod thesauris auri & argenti & omnibus rebus pretiosis ipsum dominaturum dicit. Hoc uero non minus euidenter, quam quæ hæctenus commemorata sunt, apud Romanos Pontifices deprehendere poterimus. Postquam enim imperante Constantino Magno ecclesia aurum & argentum possidere & mundi huius opibus splendere, tum iisdem illis ad cultum quoque in religione abuti cæpit, mox stultus quoque & perniciosus in simplicis uulgi ac imperitorum animis error radices egit ac succreuit, quo illi Deo splendidum hunc & multo auro radiantem cultum ueteri illo ac ignobili gratiorem magisque acceptum esse putauerunt. Hic uero hominum animis perceptus error, alium se grauiorem magisque perniciosum peperit. Hinc enim ea prodijt opinio, quod auro, argento, gemmis ac alijs terrenis opibus animarum salutem regnumque cælorum redimi crediderunt multi, si has nimirum uel sacerdotibus uel monachis ad ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum & externi cultus conseruationem conferrent. Hic uero sacrificum quæstus longe uberrimus sese exeruit. Hic etiam undique collectis sub uano ecclesiæ prætextu opibus illorum tyrannis plurimum confirmata est. Huius enim erroris persuasione dementatus Pipinus rex Rauennam & Exarchatum omnem, unam cum multis alijs Græcorum imperatori ereptis, Romanæ ecclesiæ contulit: sic nimirum & iniuste arrepti regni crimen & multi sanguinis effusionem redempturus. Simili postea errore Pipini filius quoque Carolus Magnus deceptus, quæ pater donarat confirmauit, insuper plura de suo addidit. Nec alia causa permotus tot suis opibus donata templa, tot collegia & monasteria magnifice ornata reliquit. Patrem deinde secutus filius Ludouicus Pius easdem ob causas non aut modo patrisque donationem confirmare, sed & Romanam urbem eiusque ditionem  
omnem



omnem Romanis Pontificibus largiri dignatus est. Eosdem imitati quoque alij principes, barones item ac nobiles, sed & ciues atque rustici, quotquot alijs fuere opulentiores, maximos auri & argenti thesauros ad Dei Maximū cultum conferentes. Antichristum suosq; diuitijs instruxerunt amplissimis. Prodiierunt interea nouum hominum genus, Monachi, & eorum diuersi ordines, qui in opibus colligendis solertissimi non pecuniarum modo thesauros, sed diuiones quoq; amplissimas breuē tempore acquisuerunt. Testabuntur illud eorum opes, qui inter hos pauperrimi uixerunt, Franciscani nimirum & Dominicani, quos alio nomine Prædicatores uocarunt. Quamuis enim horum Ordines intra annos duntaxat ab hinc retro 300. anno nimirum reparatæ salutis 1220. & 1223. Pontificum autoritate confirmati sint, eos tamen opes atque diuitias tam exiguo temporis spacio collegerunt, ut hæc multis millibus alendis suffecerint. Adhæc tot per illos Cœnobīa, principum regumq; palatijs longe præferenda, extructa cernimus, ut neminem uel regum uel imperatorum inuenire liceat, qui hisce sumptibus par esse possit. Et nec his tamen contenti, tot ex solido auro & argento statuas, calyces, patellas, candelabra, ciboria & infinita alia huius generis uasa, tot item auro gemmisq; radiantes uestes insuper corrasere, ut si in unum omnia hæc colligantur, uel Cræsi Mydæq; opes superare possent. Quin & hoc addamus quod ipsa clamat rei ueritas: eò opulentia sanctulos hosce, qui paupertatis titulo cum primis superbiunt, peruenisse, ut Franciscanus aliquis Monachus totum penè terrarum orbem peragere nullis ferè impensis potuerit, dum uidelicet singulis diebus Francisco sacrū Cœnobīū inuenire, & illic quasi inter fratres ex proprijs uiuere potuerit. Et hi quidem inter Antichristi membra omniū



## Homilia

grauissimo premuntur paupertatis onere. Taceo nunc myratos episcopos, infulatos Abbates, qui Principes dici & haberi uolunt, aulicoq; fastu superbiunt. Taceo Cardinales & Pontifices, qui opibus & uiribus regni mundanos principes longe superant. Quin tam propitium sibi habent Plutum isti homines, & ita terræ thesauris dominantur, ut ea quoq; in illorum potestate sint, quæ ab alijs possidentur nec dum ipsis sunt tradita. Vt primum enim maiores opes appetunt, infinitas abstrusis hominum thesauris insidias struere nouerunt, quibus eos consequantur. Huc enim faciunt toties mutata & adauctæ indulgentiarum bullæ, passagia noua, sanctorum reliquiæ antea incognitæ, crucis item contra Turcarum irruptiones prædicationis, & quæcunq; alia sunt huius generis, quibus ceu insatiabiles Harpyæ omnia uorare & corradere consueuerunt. Et hæc quidem sex illa sunt, quæ 11. Danielis cap. describuntur, Antichristi opera.

7. Prælia  
mouet contra  
sanctos.

Restat septimum & ultimum eiusdem operis, quod ab eodem Daniele cap. 7. paucis describitur, dum uidelicet paruum cornu, Antichristum scilicet, prælium fecisse cum sanctis & eis præualuisse scribit. Et hoc quidem proprium & genuinum ipsius opus est, sine quo Antichristus esse nullo modo posset. Cui enim Antichristus & Domini nostri Iesu Saluatoris unicus aduersarius sit re & nomine, omnes eos oppugnet necesse est, quotquot fide uera Christo adherentes ipsius merito ac morte sanctificati sunt. Sancti enim in scripturis non in modo, qui uita hæc functi in cælis agunt (quemadmodum rude Pontificiorum uulgus opinari solet) dicuntur: sed & omnes hi, quotquot per sanguinem filij Dei sanctificati & purgati sunt uel abluti, imò fideles quoq; omnes, qui se solo dominicæ passionis & mortis merito à peccatorum sordibus ita mudatos esse sciunt creduntq;



creduntq; firmiter, ut coram Deo patre iustificati post hanc uitam æternum uiuere & fœlicitatis nunquam finiendæ bona percipere possint. Hos uero suæ tyrannidis uiribus nunquam non oppugnavit Romanus Pontifex, ut qui horum fidem & religionem nullo modo ferre possit. Si enim solo Christo nitantur homines, mortis ipsius merito unice fidant, eumq; solum & unicum totius mundi saluatorem & redemptorem agnoscant, iacet iam omne Pontificis aucupium, iacet quæstus ille uberrimus, fœtent Indulgentiarum merces, contemnantur Bullæ, & fœcunda auri & argenti Alchymia purgatorij flammis incensa in cassum curis & ardoribus fatigari consuevit. At quomodo id ferrent homines deliciarum, uoluptatum & superbie studijs deditissimi? Crepant igitur arma, & bellum contra sanctos domini oritur, cui classicum canit & frigidam suffundit Pontifex. Et hæc quidem luce clarius cernere licebit, si quæ intra unius sæculi spatium contigerunt, inspiciamus.

Prodierat apud Bohemorum gentem diuinæ providentiæ consilio excitatus Ioannes Hus, uir pietate & eruditione insignis, qui cum scripturæ sacræ mysteria diligentius scrutatus esset, simul etiam Romani Pontificis tyrannidem & nephariã in ecclesia ambitionem facile deprehendit, multisq; reuelauit sæculi sui hominibus. Vt primum uero hoc ab illo pie & sancte tentatum est, suæ potentiæ & dignitati metuentes patres illi purpurati & ambitione turgidi, non ante insidiarum cõtra hunc finem fecerunt, quàm intra casses falsis pollicitationibus perductum in Constantiensi Concilio, contra publicam fidem, imò imperatoriam quoq; non alia quàm ueritatis causa combusserunt. Nec tamen tanta crudelitate, iniustitia & perfidia contenti, bella quoq; grauissima in Bohemos mouentes, totius imperij uires & arma non semel contra hos excitarunt. At quid



## Homilia

ueterū exemplis opus est? Inspiciantur nostri sæculi res gestæ,  
& Antichristi pugnas, quibus ille sanctos Domini impetit, faci-  
le cognoscemus. Ita enim huius tyrannidem per annos uiginti  
& amplius sæuuisse constat, ut nemo hominum Pontificiæ sua  
perstitutionis abominationem reprehendere, nemo etiam Christo  
Domino soli regnum, sacerdotiū totiusq; mundi salutem ascri-  
bere potuerit impune. Vt primum enim quis hunc solum eccle-  
siæ suæ caput & unicum mundi saluatorem esse confessus est,  
mox in uincula & carceres coniectus uel in horum squalore  
tristem mortem subiit, uel cruces, gladios, flammæ omneq;  
suppliciorum genus sustinuit. Sic ut leuissimum malorum fue-  
rit exilium. Quod si uero princeps aliquis tantam rei crude-  
litatem detestatus in suos sæuire noluit, mox ipse quoq; hæres  
seos suspectus esse cœpit, & patrum huiusmodi insidijs petitus  
est. Testor hic in carceribus adhuc inclusos Christi fideles. Te-  
stor gladios, laqueos & flumina, quæ horum corpora hauserunt  
immanissime. Testor in palis & crucibus ubiq; suspensa  
illorum cadauera. Testor campos & agros infinitis horum  
cædibus insignes, quorum plures sunt, quàm ut illorum sine  
lachrymis meminisse homo uere Christianus possit. Nec ta-  
men tam horribili sanctorum carnificina sese exaturari sinens  
immanis bestia, cum Christi doctrinam fidemq; omnibus tor-  
mentis & supplicijs superiorem uideat, immanissimas gentes  
ac infestissimos Germani nominis hostes excitandos esse puta-  
uit, ut hi ferro & flammis eos excindant, qui soli Christo salua-  
tori fidentes, nec Rom. Pontificem nec Deum illum Mayzim  
adorare dignantur.

Antichri-  
stus præua-  
lebit san-  
ctis.

Cæterum illud nobis hoc loco probe obseruandum est, fra-  
tres in Christo dilectiss. quod Daniel propheta Antichristum  
contra sanctos Domini non pugnaturum modo, uerum etiam  
iisdem



In eodem praeualiturū dicit, Nec enim ideo haec dicuntur, ut totis  
 animis territi frangamur & cōsternemur, sed eodem sensu sua  
 haec pronunciat Daniel, quo & Christus Dominus noster apud  
 Ioannē inquit, Eueniet, ut quicumq; uos occiderit, uideatur cul-  
 tum praestare Deo. Ioan. 16. Quaecunq; enim de Antichristi  
 successu & uictorijs dicuntur, nō nisi de corporibus & externis  
 sanctorū uel fideiū bonis debent intelligi. In haec etenim Deus  
 caelestis pater nonnunquā uel Antichristo uel alijs nominis &  
 populi sui hostibus aliquid permittere solet, suosq; non bonis  
 modo externis, sed & uita saepe spoliari patitur: cum uidelicet  
 qui ipsi seruire debebant, terrenis nimium intenti diuina & coe-  
 lestia negligunt. Et hanc quidem omnium ferē persecutionum  
 causam principalem fuisse legimus. Interim uero suorum salus-  
 tem Dominus nequaquam negligit, quin suo patrocinio illos  
 quā maxime tuetur. Et hi quidem persecutionū procellis &  
 cruce perinde ut aurum & argentum igne examinati, ab omni  
 humanae infirmitatis carnaliumq; desyderiorum fece repura-  
 rantur, sic ut animae ipsorum non indemnes modo, sed etiam  
 sanctiores multoq; perfectiores exeant. Quapropter nec praes-  
 senti hac persecutione, quā Antichristi consilijs & artibus ex-  
 citatam uidemus, nos terreri conuenit: quin quod generosos mi-  
 lites decet, gaudeamus potius occasionem oblatam esse, qua no-  
 stra fidei tyrocinium & specimen praebere licet, et tanti ducis,  
 Christi nimirum regis inuictissimi auspicijs Antichristum ala-  
 cres oppugnemus, non quidem externis armis quae ille parum  
 metuit, sed pœnitentia uera, morum emendatione, fidei constan-  
 tia, patientia, precibus item ardentibus & indefessis, quae  
 ut Deo acceptissima sunt, ita omnem in nos Sathanae uim in-  
 fringere, & hostiū Christi cōsilia subuertere solent. Haec enim  
 arma sunt, quae suae ecclesiae tradidit Dominus, qui simul etiam



## Homilia

illi se affuturum esse pollicitus est. Videt ergo idem ille, o fratres, ecclesie suae pericula: uidet suorum labores: uidet conatus diros & horrendos Antichristianorum hominum: uidet hostes suos & ecclesiam oppugnantes lupos: nec uidet modo uerum: etiam regit & gubernat, nec ulterius grassari patitur, quam e re nostra & fidelium omnium esse uiderit. Opus est ferula negligentibus & incurijs liberis: scipione & baculo opus est contumaci carni. Ferula Domini et baculus crux est per immanes nominis sui hostes immissa. Sectantur hi quidem suam libidinem et carnis impurae studijs rapiuntur: ad nostrae uero carnis castigationem illorum opera uititur Dominus. Et si per hos a nobis quod uult impetrauerit, leui momento & nos asserere & illorum tyrannidem domare poterit. Testatur hoc infelix Pharaonis exitus, Assyrij Sanherib pudenda clades et tristissimus multorum huiusmodi tyrannorum interitus. Sed haec quarto loco de Antichristi operibus & studijs dicta sufficiant: ex quibus, perinde ut ex ijs quae ante dicta sunt, planissime constat, Romanum Pontificem magnum illum & insignem Antichristum esse, quem per Danielelem & reliquos prophetas Deus uerbi sui oraculis reuelare uoluit.

### V. Arma Antichristi.

NUNC ergo ad quintum nostrae tractationis articulum transeamus, ut quibus armis idem ille regnum suum acquisiturus, aucturus & conseruaturus sit, consyderemus. Et haec quidem probe cognoscamus oportet, quod commodius illa cauere, & nos quoque armis fortioribus contra illius tyrannidem instruere possimus. Ut enim in re militari non minima uictoriae pars est hostium arma nouisse & eludere posse: ita in graui hac Christi regis nostri militia idipsum nobis cumprimis est necessarium. Caeterum uniuersam Antichristi *πανοπλιαν* armaque ipsius omnia, quibus & se tuetur & oppugnat alios. Paulus apostolus  
in poa



in posteriori ad Thessalon. epistola paucis cōprehendit, huius aduentum fore dicens secundum operationem Sathanæ, cum omni potentia & signis & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ. Et in his quidem notandum erit, fratres, quod omnem Antichristi potentiam, omnes uires, arma deniq; illius omnia Sathanica fore dicit apostolus, sic ut secundū Sathanæ operationem illum res suas administraturū esse doceat. Vnde si quæ nam Sathanæ potētia sit, inspiciamus, iam simul etiam quæ Antichristi uires & arma sint, plenissime nobis constabit. Et licet ad huius expositionē Pauli uerba sufficere possint, Christum tamen æternam Dei patris sapientiā loquentem audiamus, qui de Sathana mundi principe sic differit: Ille homicida erit ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax est atq; eius rei pater. Duobus ergo generibus omnes diaboli uires & arma omnia Christus cōprehendit, homicidio nimirum & mendacio. Hoc enim quicquid ueritati aduersum est, omnes item fallacias, dolos, fraudes & imposturas tam in dictis & factis, quàm in miraculis & doctrina, intelligit. Homicidium uero omnem uim iniustā, temerarios conatus, arma, tyrannidem, omnemq; qua uiolenter premuntur homines, potestatem continet. Et hæc quidem Sathanæ arma & instrumenta fuisse semper, multis ab ipso mundi exordio exemplis constat. Sic enim primos parentes nostros falsis pollicitationibus seductos paradiso & beatitudine spoliavit, & quantum in ipso fuit, iisdem uitam æternam abstulit. Homicidio postea per primogenitum suum Cainum in religionem ueram eiusq; cultorem uiolenter grassatus est: & posthæc talem se semper præbuit, qualem fore primi fructus demonstrarant. Porro cum Sathanicis armis, mendacio nimirum & cædibus, Antichristum



## Homilia

munitum fore spiritus sanctus testetur, hæc quoque in Romano Pontifice inquiramus oportet, quem Antichristum esse dictum simul & multis hæctenus argumentis demonstratum est.

Antichri-  
stus pugnat  
mendacijs.

Et primo quidem, quod mendacia, dolos fraudesque attinet, non ipsum Mercurium horum copia Pontifice instructior esse crediderim. Nam si ab ipso capite, religione nimirum quam profitentur, exordiamur, omnis hæc nil nisi fucus est & mire simulata hypocrisis, nihil eorum præstans quæ externo habitu polliceri solet, quemadmodum paulo ante in operum expositione dictum est. Quod si uero uitam & mores eorundem examines, hoc illis quasi proprium est, quod mira charitatis & amicitiae simulatione hominum animis sese insinuare possunt, quin ipsi quoque se amicissimos esse fingunt quos canes peius & angues odiunt: ad hæc grauem ecclesie & animarum curam simulant, de illarum salute non sine gemitu & lachrymis differunt, cum non alio tamen quam priuati commodi studio teneantur. Inspiciantur hic, quæ intra paucos annos ab illis facta sunt, & quod modo diximus uere dictum esse constabit. Quoties enim Romanæ sedis legatos uidit & audiuit Germania, hoc unum semper urgentes, ut Pontificem Germanis amicissimum esse et ob illorum dissidia grauius dolere persuaderent? Quam falsa uero, fucata, dolosa & mendax omnis horum oratio fuerit, res ipsa probat, imò tota (proph dolor) Germania ferro & flammis horum consilio uexata clamitat. Sed his nondum contenti, in doctrina demum, quam diuini uerbi ueritati planè contrariam è proprii capitis figmento produxere, mendacia dolosque suos magno cum fastidio exercent. Infinita enim & innumerabilia sunt, quæ magna cum grauitate (imò impudentia potius) cum in sacris literis nusquam tradita legantur, à quibusuis ceu necessaria ad salutem requirunt. Quod si quis uero scripturæ autoritatē rea-  
quirat,



quirat, hanc quidem ipsis deesse fateri non pudet, quin mendacia mendacis accumulantes, & nouum quoddam commentum non sine blasphemia parturientes, nō omnia scripturis tradita dicunt, quæ ad salutem consequendam homini sint necessaria. Nec sancti spiritus auctoritatem metuunt, qui disertis uerbis per Paulū apostolū illorū blasphemiae occurrens inquit: Omnis scriptura diuinitus inspirata et utilis ad doctrinā, ad rearguionē, ad correctionē, ad institutionē, quæ est in iustitia, ut integer siue perfectus sit Dei homo, ad omne opus bonū apparatus. Et quid nam his dici poterat clarius, fortius, euidentius? Paulus apostolus, electū Dei organū, spiritu Christi imbutus, omnē scripturā θεόπνευστον, id est, à Deo inspiratam, & proinde utilem quoq; & efficacem esse dicit, non ad docendum modo, monendum & corrigendū, sed ad hoc quoq;, ut homo Dei integer, perfectus & idoneus sit, ad omne id, quod Deus bonū esse æstimat, quodq; reuera bonum est. Horum uero auctoritatem minime reueriti impudentissimi mendacissimiq; impostores, scripturam, quam diuinitus inspiratam negare non audent, imperfectionis accusant, nec omnia hac contmeri clamitant, quæ ad salutem & religionē hominibus necessaria sunt. Num ergo imperfectionis Deus est? O impudentiā. Quod per ueritatis spiritum diuinitus traditum est, imperfectum dicemus, & quod humanæ rationis inuenit temeritas, perfectum & absolutum putabimus? Atqui maiora adhuc Pauli uerbis docemur. Si enim scripturæ hominem ad omne opus bonū paratum & idoneum reddūt, utiq; nec bonū opus esse poterit, quod nulla harū auctoritate requiritur: & proinde bona opera dici nunquā merebuntur quæ illi præter scripturæ doctrinā postulant. Liberēt se & hoc nodo exoluant, si possunt, hoīes uanissimi. Sed mendacis Satanæ armis proprijs, pugnet oportet, ut hæc dicētes



## Homilia

rude & imperitum uulgus à scripturarū ueritate abstrahere,  
& quæstuosus hominum traditionibus mancipare possint. Cæ-  
terum quò apertius sese prodant, non hæc modo mendaciorū  
genera pariunt, quin etiam falsis signis & prodigijs mendaci-  
bus pugnant, quorū Paulus hic meminit, & quæ Christus nos  
cauere iussit. Quis enim infinitum illud signorum chaos igno-  
rat, quibus monachi & sacrificuli in Papatu palàm gloriari  
consueuerunt? Nunc enim animarum apparitiones et querelas  
fingunt, nunc imagines miraculis claras proferunt, nunc alta-  
ris panem prodigijs insignē prædicant, et infinita huius generis  
quotidie cōmiscuntur, quo facilius tenebrarū regno hoies im-  
mergere, et immersos retinere possint. His ergo ne fallamur,  
**Falsa signa.** fratres, falsa signa esse obseruandū est, & falsa quidē ratione  
duplici. Primo enim signa sæpe finguntur uere falsa, quibus fie-  
ri putatur, quod reuera nō fit: cuius generis sunt, doli, fraudes,  
incantationes, imposturæ deniq; omnes, quibus simplicium animi  
decipiuntur. Secundo autē alia signa sunt, quibus uere fit quod  
fieri audimus & cernimus, nō autē uel diuina uel naturali, sed  
Sathanica operatione fit: quæ & ipsa falsa & mendacia signa  
dici merentur, eò quod hominū animos non in Dei & ueritatis  
cognitionē perducunt, sed potius inde abstrahentes, mendacijs,  
idololatriæ & superstitioni mancipare, uel his studijs deditos  
magis confirmare solent. Et ex hoc signorum genere partim  
fuisse legimus, quibus Pharaonis Magos cōtra Mosē & Aa-  
ronem pugnauisse scriptura tradit: quæ tamen diuinæ uirtutis  
operatione ædita signa nullo modo sustinere potuerunt. Vt  
enim Dei maiestatem & uirtutem Sathan ferre nequit, ita nec  
eiusdem opera coram Dei operibus & miraculis possunt substi-  
tere. Quod si uero Pontificiorum facta & figmenta excutia-  
mus, utriusq; generis signa falsa inuenire licebit. Quoties enim  
factum



factum esse affirmant impostores illi, quod nusquam factum est. Quoties uel animarum apparitiones fingunt sacrificuli, uel bonos aut malos spiritus mentiuntur monachi, dum aut quæstuum uenantur à rudioribus, aut illorum simplicitate delectantur, aut etiam hoc prætextu libidini aut stupris inseruiunt? Ipsorum facta, studia, mores & conscientias testor, & si uerum fateri uelint, ea proferent, quæ & scripsisse nefas sit, & Christianæ aures sustinere nequeant. Et sanè, quam urbem, quod cœnobium dabimus, non aliquo signo falso & mendaci nobilitatum? Quoties Franciscum suum Franciscani, quoties Diuam uirginem, Barbaram, Catharinam, ipsum denique Christum Dominum Prædicatorij ordinis Monachi mentiti sunt? Et his quidem non inepte admodum connumerare licebit, quod de altaris Sacramento finxerunt miraculum. Panem enim substantiam mutauisse, & in ueram corporis Christi substantiam transiuisse dixerunt, manentibus tamen accidentibus panis, qualitate nimirum & quantitate: idque tanta inculcarunt impudentia, ut licet omnes hominis sensus reclamare, & nullam scripturæ auctoritatem suo figmento inseruire uiderent, miraculum tamen uel inuitis obtrudere, & eidem fidem facere ueriti non sint. Vt autem in fingendis prodigijs foelicissimi sunt isti homines, ita nec alteris illis, quæ Sathanica operatione fiunt, destituuntur. Ad est enim electis suis organis Sathan, & diligenter ne hæc illi tam iucunda turbetur fabula, inuigilat. Vnde multa huius uirtute fieri constat. Huc enim pertinent multæ spirituum circa sepulchra apparitiones, querelæ, gemitus, eiulatus, lachrymæ, species item & formæ igneæ ac horribiles, quas mortuorum animas esse simplex uulgus hæctenus credidit. Cuius autem hæc sit fabula, quisue eius actor, facile si exorcismos inspiciamus, uideri poterit. Vt primum enim per sacrificulum adiu-



## Homilia

rantur isti spiritus, demortui alicuius animā sese fingunt, dolores incredibiles, quos in Purgatorij igne sustineant, exponunt, de illorū carnisficina quiritantur, ab hæredibus autē opem postulant. Quod si de ope sibi ferenda quærat, Missas enumerant, anniuersaria, preces meritorias, et alia quædā huius generis, quæ monachis quidē & sacrificulis lucrū afferunt, hominū uero animos à Deo & ueritate abstractos erroribus superstitiosis & idololatricis inuoluūt. Postquā uero Sathanæ morē gesserunt hæredes, nullus dolor, nullus planctus, nullus gemitus, nulla deniq; uox exauditur amplius: quare miseri animæ periclitanti se subuenisse existimant, cum non aliud ab ipsis factū sit, quàm quod Sathanæ cultum præstiterunt longe gratissimum. Eiusdem generis sunt, quæ per imagines ædita sunt miracula, siue mendaci & falso hominum artificio conficta, siue Sathanica operatione excitata. Fuerunt enim ex imaginū maxime celebrium numero, quarum aliæ lachrymas fudisse, aliæ oracula dedisse, aliæ item loco cecidisse creditæ sunt. Fuerunt & aliæ sanationū miraculis insignes & multa anathematum suspensorum ostentatione superbæ. Et ne solis diuis (quod per se satis impium erat) beneficia sua accepta ferrent homines, diuis à loco etiam & imaginibus, quibus colebantur, nomina data esse constat. Vnde aliud quidem miraculum Maria Aquensis, aliud Lauretana, aliud Heremitana, aliud Ratisponensis fecisse dicitur. Sunt tamen præter hæc quæ modo recensuimus alia quoq; maiori admiratione digna miracula, quæ num fidē apud posteritatem inuentura sint, affirmare non ausim. Vidimus enim nostra memoria repentino & subito animi motu abreptos homines concitato cursu attonitis & mente captis similes per aliquot milliaria ad imaginem aliquam pergere. ibiq; prostratos per horas aliquot cœu semimortuos iacere, & de  
hinc



hinc mente recepta surgere domumq; reuerti. Notius hoc est  
 & recentius, quam ut negari possit. Fuit apud Ratisponenses  
 hoc miraculo clara Maria, quam illi Formosam dixerunt, Iu-  
 nonem tamen corona & sceptro regio magis quam diuam uir-  
 ginē referens. At quid his immorari opus est, cum nemo igno-  
 ret huiusmodi signorum copiam ubiq; locorū fuisse. maximam:  
 quæ tamen mendacia fuisse hoc uno argumento potest abunde  
 deprehendi, quod quæcunq; illa efficere tentarunt, diuini uer-  
 bi traditionibus contraria fuere.

Quoniam uero non tanta est omnium hominum cæcitas et  
 ignorantia, ut primo hoc Antichristi gladio, mendacijs nimirū  
 & falsis miraculis, se deuinci & capi omnes patiantur, alterū  
 quoq; Sathanæ gladiū Paulus illi tribuit, apertam nimirū uim  
 & iniustā potentiā, qua palām cōtra renitentes grassari & con-  
 tradicentes opprimere & coercere queat. Et hanc quidem nō  
 minus perspicue, quam mendacia & dolos, in Romanis Ponti-  
 ficibus cernere licet. Primo enim proprijs uiribus & propria  
 potentia abunde satis instructi sunt. Habent suo imperio paren-  
 tes urbes, habent agros, habent suæ diuioni subiectos homines,  
 habent exercitus ualidos & instructos, arma item bellica, &  
 quæcunq; ad militiam & bella gerenda requiri possunt: nec  
 habent modo, uerum etiā ijsdem illis palām contra reges, prin-  
 cipes, urbes & populos grassantur, qui illorum imperiū agno-  
 scere nolunt, & ipsorum legibus sese opponere audent. Quia  
 tamen bellorum euentus ancipites Martemq; ἀποπόσαμον  
 esse uiderunt, noua arma nouumq; gladium sibi fabrica-  
 runt homines uaserrimi, cuius acie potentissimos quoque re-  
 gum & imperatorum debellarunt: Excommunicationem di-  
 co, quam fulmen uerius dixeris, quo principes sibi aduer-  
 sos ferire, diris deuouere, solijs suis deicere, illisq; deicētis

Antichri-  
 stus pugnat  
 aperta ui.



## Homilia

alios surrogare soliti sunt. Et ne quid ipsorū deesset tyrannidi, alienis armis suam potentiam sic muniuerunt, ut nunquam non alios uel principes uel populos inuenerint, qui ipsorum iudicia & sententias contra Romanæ sedis hostes exequi, & pro hac grauisimis bellorum periculis sese obijcere dignati sunt. Senserunt tyrannidē hanc summæ calliditati iunctam imperatores Græci, quos Langobardorum armis in Italiā euocatis totius Italiæ imperio spoliarunt. Senserunt tamen similem perfidiam et tyrannidem ipsi quoq; Langobardi. Cum enim Pontificibus in Italia molestiores esse & Italiæ Romæq; imperiū affectare inciperent, cum illis congregari non ausus Pontifex Francorum reges in auxiliū euocat, quorū uiribus Langobardos primo quidem coërcet, postremo autem per Carolū Magnū ita opprimat, ut ex illorum regno, quod annis ducentis in Italia tenuerant, nihil præter solum nudumq; nomen sit reliquum. Nostro sæculo Pontificem Gallis quoq; iniquiorem factum esse uidimus, quos tunc quoq; suo more aliorū uiribus & maxime Heluetiorum armis Italia tota expulit. Et hæc quidem Babylonice huius meretricis artes sunt, his dolis instructa istiusmodi etiā philtre miscere nouit, quibus ubiq; gentium amatores sibi conciliare potest, tam fidos & constantes, qui nec propriam uitam periculis obijcere dedignentur, dummodo ipsam tueri & defendere possint. Ne tamen nouos indies sibi amatores & tutores, uel propugnatores potius quærere cogeretur, imperatorū animis ita sese insinuauit, ut hi iuramenti religione: sese ad huius defensionem contra hostes quosuis obstringere passi sint: ut nuper ex iuramenti formula Ottoni imperatori præscripta intelligere licuit, quod ipsum tamen alij quoq; Pontificum Canones euidentius nonnihil testantur. Nam Extrauag. Com. lib. 2. Tit. de Maioritate & obedientia, sic scribit: In hac (ecclesia nimirum



nimirum Christi, quam ille Romanam intelligit) eiusque potestate duos esse gladios, spirituales uidelicet & temporalem, euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus apostolis, Ecce gladij duo hic, in ecclesia scilicet, cum apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male uerbum attendit Domini proferentis, Conuerte gladium tuum in uaginantam. Vterque ergo est in potestate ecclesie, spiritualis scilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro ecclesia, ille uero ab ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum & militum: sed ad nutum & patientiam sacerdotis. Hic ergo externam quoque potentiam caedeque madentem Antichristi gladium uidete fratres, quem Romanus Pontifex tam disertis uerbis sibi uendicat, nulla etiam scripturarum ratione habita, quas tantis cum blasphemis uiolenter torquet. In ecclesia enim duos gladios esse dicit, potestatem nimirum ecclesiasticam & imperatoriam: utramque uero Pontifici subijcit, eosque Christi uerba male intelligere tradit, qui imperatoriam potestatem Pontificis libidini subiectam esse negent. Et sane uerissime hoc dicit bellua. Qui enim hoc negant, maximum malum Romanae sedi struunt, dum imperatorum libertatem asserunt, illam uero tanto imperio spoliant. Sed illud hinc didicisse sufficiat, quod Rom. Pontificem altera quoque Antichristi arma arripuisse constat. Et sane, quid his diutius immorari opus est, cum nos uera dicere res ipsa clamitet? Nonne enim gladius ille Pontificis nutu strictus est? Nonne ferit iam & grassatur in sanctos Domini? Nec quenquam latere arbitror, qua de causa gladium hunc stringi iusserit Pontifex. Extant ab ipsa Roma egressae Bullae, quae id ipsum testantur: Germanos nimirum ad ecclesiae Romanae obedientiam ferro & igne reducendos & laeto euangelij pabulo spoliandos esse. Au-



## Homilia

Verba in-  
dulgentiæ  
æditæ anno  
1546. Idib.  
Iulij.

diamus tamen, quò minus dubitare possimus, loquentem ipsam  
bestiam: Ita q; cum de eorum (Germanorum scilicet) correctio  
ne omnino desperauissemus, uideremusq; illos plane sanctæ  
Dei ecclesiæ hostes esse, bellumq; pijs omnibus indixisse nepha-  
rium, quantisq; possunt conatibus eniti & contedere, ut in ean-  
dem, in quam ipsi ceciderunt, foueam impietatis reliquos oma-  
nes detrahant: Diuini spiritus inspiratione accidit, ut charissis-  
mus in Christo filius noster, Carolus Romanorū Imperator,  
semper Augustus, fortissimus & religiosissimus princeps, in  
eosdem & Dei hostes & rebelles suos arma sibi capienda esse  
statueret: cuius quidem pios laudabilesq; conatus & excellens  
in rem Christianā studiū, omnibus nostris & sanctæ Romanæ  
ecclesiæ facultatibus, pro piorū salute, pro religionis defensio-  
ne, pro Dei honore, deniq; pro pace & tranquillitate publica,  
sumus adiuturi. Et hæc quidē ipsius bestię uerba sunt, quæ ut  
rabiem spirant, ita uulpina quadam calliditate sanctis & uene-  
randis ecclesiæ, Dei, pacis, religionis & tranquillitatis nomini-  
bus rabiem tegunt. Sed si hæc ad arguendā eius tyrannidem  
minus ualere alicui uidetur, rē ipsam inspiciamus ô fratres, &  
huius tam funestæ Tragœdiæ præludia. Num memoriæ exci-  
disse potest miserabilis sanctissimi uiri, Ioannis Diazij Hispa-  
ni cædes? quem hoc anno VI. Calēdas Aprilis faterna manu  
intra uiscera sua occubuisse Germania uidit. Euasit parricida  
& latro cruentissimus, nec dignas persoluit pro tāto scelere pœ-  
nas. Aperite ergo oculos, ô fratres, & unius ex crimine Antia-  
christi simul & Antichristianorū omniū conatus agnoscite. In  
uestra capita Diazij securim exacuit Pontifex. Vobis Hispani  
imminēt. Vestra, uxorū & liberorū res agitur: & ea nūc rabie  
pugnat Antichristus, ea furit insania, ea libidine nos extinctos  
cupit, ut uel fratres iugulare penes illū licitū, & parricidis sua  
sint



sunt constituta premia. Vtroque ergo, quo Palus illum armat, gladio pugnat Antichristus. Habet enim, qui blanditijs capere, pollicitationibus irretire, persuasionibus mulcere cupiant, quos cumque rei ueritate cognita Pontifici iniquiores esse uident. Interim tamen arma furiunt, grassatur hostilis gladius, flamas ubique concipit Germania & ubique locorum Antichristi uires seuiunt. Vigilemus itaque fratres, leuemus capita, assiduis insistamus precibus, ut Dominus suae ecclesiae adesse & e furibundi hostis manibus asserere dignetur.

Quoniam uero haecenus hoc quinto loco Romanum Pontificem uerum illum & magnum Antichristum esse certis signis & argumentis cognouimus, alterum quoque (priusquam hunc locum finiamus) cognoscendum erit, ut nimirum intelligamus in quos armis suis Antichristus grassari possit, & quousque illi contra sanctos Dei permissione furere liceat. Et haec quidem paucis uerbis Paulus docet, ad Thessalonicenses suos in posteriori epistola sic scribens: Aduentus eius est secundum operationem Sathanae cum omni potentia, & signis ac prodigijs mendacibus, et cum omni deceptione inuisionis, in ijs, qui pereunt, pro eo quod dilectione ueritatis non receperunt in hoc, ut salui fierent. Et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt inuisionem. Plena autem consolationis sunt haec Pauli uerba. Ut enim Christus Saluator noster apud Matthaeum non obscure innuit, Antichristi signa ad seducendos electos non multum, imo nihil, ualitura esse: ita Paulus quoque in eos duntaxat illi tyrannidem permissam esse docet, quos perdendos & damnandos esse diuina iustitia iudicabit. Ne uero Deum tyranni instar nullo certo iudicio alios quidem saluti alios uero perditioni addicere putaremus, in sequentibus statim, qui nam illi sint, indicat, & eos esse dicit, qui ueritatem exosi illam re-

In quos & quousque Antichristus grassari possit.



## Homilia

cipere & sectari nolunt, & mendaciorū tenebris potius quam ueritatis luce delectantur. At qui tales sunt, iusto utiq; & æquo Dei iudicio excæcari solent, ut mendacijs et imposturis seducti Antichristianæ tyrānidis iugo subijciantur, imò semetipsos propria libidine huic subijciant. Nam cū omnis ingratitude Deo inuisa & pœnis digna sit, ea tamen pœnam grauissimam iure meretur, qua amplissimum diuinæ gratiæ beneficiū, ueritatis nimirum & uerbi ipsius cognitio ac reuelatio, contemni et reijci consueuit. Exempla eius rei in sacris ubiq; sunt obuia. Memorabile tamen & cum primis horredum in Pharaone extat. Dum enim is diuini uerbi ueritatem & Dei admonitiones saluberrimas non modo non recipit uel admittit, uerumetiam ingrato pectore uerbisq; minacibus ac blasphemis reijcit, eò dementiæ & cæcitatibus iusto Dei iudicio detruditur, ut nec præsens perditionis suæ malū animaduertat, sed in præceps ruenti impietatis libidine se suosq; rubri maris fluctibus submergat. Nec multum ab hoc differt, quod impio Achab contigisse legimus: qui dum salutaria monentem Micheam spernit, pseudo prophetarum consilijs pestiferis obediens in præsens ruit exitium. Sensit simile iusti Dei iudiciū totus Israel, Sedechiæ regis & Ieremiæ prophetae temporibus pseudoprophetarū mendacijs seductus, dum amice monentem Dominum respuunt. Et sanè si Antichristianæ tyrānidis primordia inspiciamus, idem omnino tunc quoq; contigisse uidebimus. Dum enim Romano Pontifici gratificari uolentes homines imaginum usum recipere & ab illis potius quam à sacris scriptoribus in fidei uitæq; Christianæ negotio erudiri & institui maluerūt, ea per imagines edocti sunt, quæ discipulos suos docere solet Sathan, superstitionem nimirum, nefarios cultus & impios, quos postea ut apud gentes olim omne uitiorum & scelerum genus secutum est,

Rom. 1.



est, & in tantum error paulatim succreuit, ut tandē Antichristi iugo per omnia subiecti, omnia illius approbare & illius statuti obedire coacti fuerimus. Nec est ut quæ olim contigerūt longa commemoratione repetamus: quin quæ modo omnium oculis & manibus obuersantur, inspicere libeat. Misertus nostræ ruinæ & proditionis Deus clementissimus pater, nostro sæculo, quæcunq; ad salutem necessaria sunt, per uerbi sui lucem nobis reuelare dignatus est. Hic uero infinitam hominum multitudinem inuenire licet, qui carnis suæ affectibus dediti mendacijs potius & falsa doctrina quàm ueritatis luce se dirigere ac duci uolunt, quin etiam, ut affectibus carnisq; libidini indulgere, uitijsq; omnibus inferuire possint, ueritatem agnitam non odisse modo, uerum etiam, quantum in ipsis est, opprimere solent. Quod si uero eorundem uitam, mores & religionem inspiciamus, iustū illud, cuius hic Paulus meminit, Dei iudicium luce clariùs uidebimus. Eò enim dementia & insania deueniunt homines impijssimi, ut reiectis & contemptis Dei prophetis & uerbi diuini traditionibus eos audiant & illorum doctrinæ obtemperent, quorum uitam & mores stupris, adulterijs, alea, ebrietate, & omni uitiorum genere infamem esse uident, & quos scelerū mancipia esse norunt, ab ijsdem scelerum suorum expiationem expetunt, tum ab illis doceri uolunt, quos a sinis indoctiores esse ipsi fatentur. Nec tamen ea insania contenti, nunc quoq; in præsentia hoc totius Germaniæ periculo illorum conatibus fauent, & eorum consilia omnibus studijs & uiribus, imò precibus quoq; priuatis et publicis adiuuant, quos communis patriæ hostes grauissimos esse constat. Num enim aliquem hominum tam insipientem et ignorantem putabimus, qui quæ acerbo in Germanos omnes Itali & Hispani sint animo, ignorare possit? Num tam surdus et plumbeus est aliquis,



## Homilia

qui illorum in nos conuitia nunquam audierit? Qui non consenti nos Barbaros & stipites uel bardos, imò canes etiam dixisse, simul etiam horrendo hæreseos crimine nos aggravare consueuerūt, omneq; in Germanos exercitum libidinis, tyrannidis & crudelitatis genus licitum esse existimant, ut quos nec hominū numero accensendos esse arbitrentur. Atqui hos ipsos multis in Germania exoptatissimos hospites uenisse uidemus, nec desunt qui horum armis se defendi & asseri posse credāt, qui hostilem in Germanos omnes animum tot indicijs hæcenus prodiderunt. Hoc uero est iustum illud Dei iudicium, ut qui ueritatis lucem exosam habent, non cæci, modo, sed & communi sensu spoliati uidentibus oculis cæcutiant, & audientibus auribus audire non possint.

Cæterum illud nobis hoc loco diligenter obseruandū erit, fratres in Christo charissimi, quid nos facere conueniat, si graue hoc tam pernitiōsæ cæcitatē malum effugere cupiamus. Ingratitudo utiq; hæc fugiēda erit, & ea fide ac industria animos nostros muniamus oportet, quæ diuini uerbi et ueritatis lucem diuinitus oblatam digne recipiat. Vbi illud imprimis caueudum, fratres, ne priuatis affectibus indulgere, eosq; ueritatis cognitioni anteponere uelimus. Quicumq; enim hos audire uoluerini, ad fidei ueritatem peruenient nunquam. Domentur ergo illi oportet & spiritus subijciantur obedientiæ. Obest uero inter alia hoc quoq; si carnis gaudia quærere & præsentem rerum prosperitatē sectari libeat, quam rem multis hodie summæ impietatis & perditionis causam esse uidemus. Sūt enim, qui lætum illud salutis per Christum partæ nuntium non iniquo animo ferrent, modo cruce careret & persecutionum fluctibus. Vbi uero hos inuadere uiderint, mox ora in graues blasphemias resoluentes non modo Euangelij doctrinam saluberrimam



rimam, sed & Christum Dominum conuicijs lacerare audent. Sed succurrat hic animis nostris, ô fratres, inuicta illa & fortis maiorum nostrorum, sanctissimorum hominum, constātia. Quo animo enim & quibus gratulationibus illos Euangelij doctrinam recepturos fuisse putabimus, si quis tunc illam protulisset, cum Ludouico 1111. Imperante Antichristianæ excommunicationis fulmen onusq; grauisimum annis duo de uiginti magna erga Imperatorem fide sustinuerunt? Num ergo nos ueritatis luce instructi illis contra hunc hostem ignauiores erimus? Num in Christum regem & Saluatorem nostrum frigidioribus animis, quàm illi in Imperatorem hominem fuerūt, conspiciemur? Et num minoris apud nos fides Christo data aestimabitur, quàm illi homini datam aestimarunt? Liberate uos tāti sceleris infamia, ô fratres. Pulchrum sit maiorum uirtutem imitari, Pulchrum sit animarum libertatem uel sanguine effuso asserere. Pulchrum & iucundum sit pro patria, uxoribus, liberis, imò pro salute animarum & Christi Saluatoris gloria mortem oppetere. Extāt tot martyru ante nos uestigia, extat Christi exemplum, quod negligere sine summa turpitudine non possumus. Imprimis uero precibus ad Deum opus erit assiduis, ut ab Antichristi tyrannide nos asserere, spiritu item & fide instruere uelit, ut in agnita ueritate fortiter persistere, & in Christo saluari possimus. Ipsi sit honor, laus & gloria in æternum, Amen.



## Homilia

RODOLPHI GVALTHERI  
TIGVRINI DE ANTI

christo Homilia V.

ARGVMENTVM.

Antichristi finis & interitum pingit, simulq; quid fideles Antichristiana grassante tyrannide facere debeant, docet.

**E**XPOSVI hætenus quatuor Homilijs, fratres in Christo dilecti, ea quæ ad Antichristi sedē, ortū, personā, opera & arma cognoscāda faciunt, quæ si cū Romani Pontificis sede, ortu, persona, operibus & armis conferatur, omnia in hunc uere cadere dicendum erit, quæcunq; de Antichristo per Daniele prophetam & Paulum apostolum sunt tradita. Vnde illud sequatur necesse est, Romanum pontificem, qui ecclesie caput, Christi uicarius, cælestis aulae ianitor ipsaq; sanctitas nominari gaudet, uerum illum & insignem Christi Seruatoris hostem, id est, Antichristum esse hominem nimirū peccati, filium perditionis, summamq; illam abominationem, quæ in templo Dei sedem collocās, super omne hoc, quod Dei nomine colitur, sese effert, dum uidelicet quæcūq; solius diuinæ gratiæ sunt & potentiæ, sibi nimium temerario ausu uendicat. Restat nunc ultimus locus, qui de Antichristi occasu & interitu differit, qui & ipse ex locis supra citatis cognoscendus erit, ex quibus non doctrinam modo, sed & consolationem insignem haurire poterimus.

VI. Anti-  
christi finis  
et interitus

Atqui Paulus apostolus de iniqui huius & impij fine uel interitu loquens, Dominus (inquit) conficiet eum spiritu oris sui, et abolebit claritate uel gloria aduentus sui, id est, aduentu suo claro & glorioso. Duo igitur de Antichristi interitu notari uult apostolus. Primo enim spiritu dominici oris conficiendum



dum & occidendum esse dicit: quod ex *Esaia* desumptum esse *Esa. 11.*  
 nuper diximus. Nam is quoque de Christo domino eiusque operi-  
 bus loquens, id ipsum iisdem uerbis testatur. Vbi nos sensum uer-  
 borum penitius inspicere oportet, quò facilius ut hæc quoque im-  
 pleta sint, intelligamus.

Spiritus oris Dei, æternum illud & omnipotens Dei uer-  
 bum est, quo in prima mundi origine omnes creaturas condi-  
 tas esse & in hunc usque diem conseruari constat. Et hoc qui  
 dem gladium illum fore dicit apostolus, quo Antichristum confi-  
 ci oporteat. Et gladium certe Dei uerbum idem apostolus no-  
 minat, ad *Hebræos* cap. 4. sic scribens: *Uiuus est sermo Dei*  
 & efficax, & penetrantior quouis gladio utrinque incidente, ac  
 pertingens usque ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compa-  
 gumque & medullarum, & discretor cogitationum & intentio-  
 num cordis. Et sane talem esse facile experiuntur quorum-  
 cunque peccata hoc reuelat & arguit. Ad hæc idem contra ho-  
 stem nostrum communem nos armans ac instruens gladium  
 spiritus, hoc est uerbum Dei, porrigit, quo pugnare nos ipse *Chri-*  
*stus Saluator* noster proprio exemplo docuit. Cū enim ipsum *Matth. 4.*  
 quoque, ceu uerum hominem, *Sathan* tentator ille malignus ag-  
 gressus est, unico hoc gladio omnia illius iacula excipit simul  
 & eludit, ad singulos nimirum insultus tale quid è Dei uerbo  
 proferens, quo illum repellere & arma eius infringere posset.  
 Quapropter, cum ipsum *Sathanam* Dei uerbo iam olim supe-  
 ratum uideamus, nō temere à *Paulo* dictum putabimus, quod  
 Antichristum quoque, selectum diaboli organū, spiritu oris do-  
 minici, id est uerbo Dei, superandum & conficiendum esse do-  
 cet: quæ autem sint huius sententiæ mysteria altius nobis inqui-  
 rendum erit.

Eodem in loco de Antichristi armis & operibus differens

K

Antichri-  
 stus confici-  
 tur spiritu  
 oris domini

*Ephes. 6.*

*Matth. 4.*



## Homilia

Paulus, eius potentia atq; operationem Sathanicā fore dixit, eumq; dolis et mendacijs instructum id omne facturū, quod de ipso prophetarū oraculis proditum sit, imò mendaciorum uirtute regnaturum in hominum animis. Nec enim tantā abominationem quisquā reciperet mortalium, cui illa perspecta esset & cognita. At cum dolis & fraudibus hominum animis sese insinuat, alium se quā reuera sit simulat, quin scripturæ etiā locis falso citatis simul & expositis faciem suā prodigiosam uelare nouit: mox ab ijs, quos suis seduxit fallacijs, receptus, ita in illorum animis regnat & imperat, ut ipsi fidem habentes quæcunq; iubet faciāt, et quæcunq; uetat caueant, quin in omnibus ipsi totis animis addicti uiuant. Porro cum omnis Antichristi tyrānis atq; imperium non alio quā mendaciorum ac fraudū fundamento nitatur, illud ipsum corruat quoq; necesse est, ut primum uerbi Dei, id est, æternæ ueritatis lux hominum animos irradians dolo & mendacia arguerit. Nec enim mendacijs ulterius fidem habere possunt, quibus iam illa sunt cognita, quin pudet potius tam turpiter falsos esse, eosq; quorum artibus decepti errauere, ex animo odiunt. Tunc ergo diuini uerbi gladio in hominum animis uitam simul & Imperium amisit Antichristus, etiāsi corpore adhuc uiuat & in membris suis quā plurimis regnū obtineat. Sed ut certius hæc nobis comperta sint, rem ipsam inspiciamus oportet, ut nimirum in Romano Pontifice hæc contigerint.

Imperium affectans Pontifex, se suosq; conatus omnes nō tales, quales reuera erant, hominum oculis spectandos exposuit, sed diuersis depictos & fucatos coloribus. Primo enim Petrum inter Christi apostolos primatum, imò principatum, tenuisse, tandemq; Romam delatum Euangelium ibidem prædicasse, primumq; Romanæ ecclesiæ episcopum fuisse, simplici



& rudi uulgo persuadendum erat. Hinc ecclesiarum primatus ad Romanā transferri, simulq; & hoc obtineri potuit, Romanū episcopum Oecumenicū et uniuersalē totius ecclesiæ antistitē esse, ut q; Petri apostolorū principis successor Christi uicarius in principali ecclesia sedeat. Ne uero huic tā ambitioso & quastuoso cōmento suus fucus deesset, scripturæ locos misere & uiolēter detortos produxerūt hoies audacissimi. Et cum Christū Petro se filiū Dei esse fatenti dixisse legamus: Tu es Petrus, & sup hāc petrā ædificabo ecclesiā meam: Christi uerba sic intelligēda esse dixerunt, quod Petrū suæ ecclesiæ fundamentū Christus fecerit, & p̄inde ecclesias oēs ad Petri successorē, Romanū uidelicet Pontificē, merito debere respicere. Rursum dicente Domino, Petre pascue oues meas, pascendi uerbu ita exposuerunt ijdē illi, ut Romano Pont. ceu Petri successori oīm episcoporū & ecclesiarū Imperiū & primum traditum esse cōtenderent. In eandē sententiā illud quoq; uiolēter traxerunt, quod de clauibus loquēs Christus inq̄: Quicqd ligaueris in terra, erit ligatū in cælis: & quicqd solueris in terra, erit solutū in cælis. Eū enim peccatorū uinculis solutū ac liberatum dixerunt, quemcunq; uel ipse Pōtifex uel alius Pontificis autoritate cōsecratus sacrificex absoluisset: è contra uero peccatorū nodis teneri & dānationem sustinere certā, cuiusq; absolutio illa fuisset negata. Hæc inquā & infinita alia simplicis uulgi auribus atq; animis inculcauerūt hoies astutissimi, quibus ut primū fides haberi cœpit, Pontificis quoq; tyrannidem & potentiam sentire cœperunt homines. Si cui enim ea fuit mentis audacia, ut se uel Pontifici uel suis opponere auderet, mox excommunicationis fulmine percussus ab oībus quoque pro dānato & perduto est habitus, unde eousq; res p̄gressa est, ut potentiissimis etiam Imperatoribus Romani Pontificis pos



## Homilia

rentia formidabilis esse cœperit. Nam nec illis parere digna-  
ti, in ipsos quoq; sua iecerunt fulmina, simulq; ne quis excommu-  
nicatis Imperatoribus obedire dignaretur, graubus edictis  
prohibuerunt: ut in Græcorum Imperatorum gestis, Henry-  
chi itē quarti & quinti, Ludouici quarti, Friderychi primi &  
secūdi indignis casibus est uidere. Et sane licet summo studio  
Romanorū Pontificū improbæ tyrannidi sese opponerent, Ita-  
liam quoq; non semel forti manu ingressi aduersos sibi Pontifi-  
ces urbe fugarent, aliosq; in eorum locū substituerent, uani ta-  
men & irriti fuerūt ipsorū conatus omnes, nec quicquā Ponti-  
ficum uiolētia eripere, nec illā prorsus domare potuerunt. Ve-  
primū enim Italia discessere, in urbē reuersi Pontifices, amisa-  
sam tyrannidē denuo occuparunt, et excommunicationū fulmi-  
nibus Imperatores sibi parere coegerūt. Causa uero huius ma-  
li fuit unica, quod in hominū animis nōdū obierat Pōtifex, quī  
ipsum Christi uicariū esse, ligandi & soluēdi potestate habere,  
quin ipsius cœli & inferorū ius obtinere credebant. Nihil ergo  
Imperatorū uiribus atq; potētia cōtra Pontificū artes atq; ar-  
ma effici aut obtineri potuit unq;. Licet enim ipsis Impatoribus  
alijsq; ex ipsorum familia uel aula hominibus doli & fraudes  
Romanæ perspectæ essent, easdē tamen uulgus omne ignorās  
Pontificū decreta adoranda esse putabat, & eorundē fulmina  
tanq; diras Dei iudicis sentētias pertimescēs, eorū nec comercijs  
nec cōsilijs sese miscere dignabatur, quos excommunicationis ful-  
mine uidebat percussos. Hoc autē omne eò facilius cōsequi po-  
tuerunt Romani præsules, quod per omnes Christiani orbis lo-  
cos dispersi episcopi & ecclesiarū doctores Romanæ ecclesiæ  
authoritatem pro apostolica & diuina cōmendare solebant.

Subiungamus uero hisce ea quæ nostro sæculo contigerūt,  
ut quomodo Pauli apostoli uaticiniū hodie impletū sit, uideam-  
mus.



mus. Vbi Deo cœlesti atq; benigno patri uisum est, populū suū  
 diutina captiuitate pressum asserere et Antichristi domare ty  
 rannidē, parua et uilia mundi huius elegit, ut per hæc, quæ ma  
 xima et inuicta uidebantur, cōfunderet. Nā Dei spiritu illumi  
 nati aliquot fidi doctores & ecclesiarū ministri, ubi in scriptu  
 rarū cognitionē pleniorē penetrarunt, diuini oris spiritū, uerbū  
 dei scilicet, in publicū proferentes, hoc tā acuto & forti gladio  
 multorū manus armauerunt. Hoc igitur contra pseudopphes  
 tarū dolos muniti hoies Christū Iesum agnoscere eumq; eccle  
 siæ suæ caput unicū, regem & sacerdotē summum, sacrificium  
 pro mundi peccatis sufficiens, unicum itē mediatorē et aduoca  
 tum apud cœlestē patrem esse, credere cœperūt, et talē qdem,  
 qui ecclesiæ nunq̄ non præsens nullius uicarij opera indigeat.  
 Et horū eqdem cognitio simul Pōtificis quoq; dolos atq; men  
 dacia arguit, sic ut è cōtra eū nec ecclesiæ caput, nec summum  
 sacerdotē & regē, & multo minus Christi Saluatoris uicariū  
 esse uiderēt. Adhæc Missam quoq; sacrificium p̄ peccatis esse  
 nullum, nec papisticæ absolutionis ullā auctoritatē esse didi  
 cerunt. Præterea, scripturarū loci, quos uiolēter & impio ausu  
 detorserāt homines impudentissimi, ueritatis luce illata uero  
 sensu patuere. Et ex his edocti homines Petrum nō ipsam pe  
 trā esse, sed à petra, quā confessus erat, sic denominatū fuisse,  
 petrā uero Christū esse cognouerunt, qui unicum ecclesiæ fun  
 damentū est, cui ecclesia fideiū innixa uacillare nescit. 1. Cor.  
 3. Tum pascēdi officiū non regnum aut Imperium, sed docen  
 di, monēdi, hortādi, arguendi, corripiendi et consolandi munus  
 significare, quæ oīa uerbi ministerio cōprehēduntur, quod non  
 uni Petro, sed omnib. apostolis simul commissum esse constat  
 Matth. 28. Quin & hoc ostensum est, Petro apostolo nusq̄ pri  
 matū aliquē in reliquos discipulos suos cōcessisse Dominū, quim



## Homilia

potius oim ambitionē & dominandi cupidinē grauibus uerbis repressisse, si quando carnis infirmitate supati de primatu contendere cœperunt. Matth. 18. 20. Lu. 22. Ioã. 13. De clauibus uero euidenter monstratū est, ijs non pontificiæ excōmunicatiōnis fulmen aut eiusdē indulgentias, sed euāgelij atq; uerbi Dei uirtutē & potentiā significari, quod omnibus, q; fiducia in Christum collocata pœnitentiā scelerū suorum agunt, peccatorum remissionē nuntiat ac diuinis pmissiōibus eorundē animos ob signat et cōfirmat: ē contra uero infidelibus et pœnitere nescijs æternæ dānationis supplicium minatur. Hæc & alia huius generis infinita, ubi diuino uerbo illuminati homines didicerūt, uicissim uero Pōtificis dolos, imposturas & mēdacia deprehenderunt, iā tū in illorū animis Antichristus spiritu oris domini ei iugulatus occubuit. Nec enim ulla amplius ipsius ratiōe habita benedictiones ipsius p̄ maledictionib. maledictiones uero pro benedictionib. excōmunicatiōnes uero eiusdē et fulmina ludibrio habere, omnēq; illius potentiā non nisi impiā & blasphemam tyrannidē æstimare cœperunt. Pontificē ergo perinde ut Goliath olim sub Dauide pprio gladio iugulatū esse uidemus, ijs ipsis nimirū scripturæ locis, qbus misere & uiolēter detortis suā tyrānidē cōfirmarat. Et sic quidē uere impletū est, quod de illo prædixit Christi spiritu imbutus Paulus apostolus. Quamuis enim in mēbris suis horrendū furiat, minas & fulmina spiraret, nihil tamē illius conatib. mouētur uere fideles, q; suū Pōtificem, regē & sacerdotē, caput item & intercessorem unicum in cœlis habēt, in quē unū sublati in cœlestia animis respiciūt, pontificias interim laruas & Babylonæ meretricis multoq; rubentis sanctorum sanguine conatus nihil morati.

Antichri-  
stus aduen-  
tu domini  
abolēbitur.

Addit uero priori alterum quoq; de Antichristi interitu Paulus, atq; glorioso Christi Seruatoris aduentu cum prorsus delendum



delendum esse dicit. Et hæc quidem de nouissimo die & ultimo iudicio loquitur, quo Christus, Dei & Mariæ uirginis filius, irreuocabilem illam de omni carne sententiam feret: sic autem docere uult apostolus, quo iudicio Antichristi scelera tunc punienda sint, quod ipsum Daniel propheta copiosius simul & euidentius describit hisce uerbis: Spectabam sane donec posita sunt subsellia, et prouectus ætate sedit: cuius uestimentum candidum erat ut nix, & capillus capitis eius ut munda lana: cuius solium ut flamma ignea, & eius rota ignis flagrans. Igneum flumen dimanabat egrediebaturque ab eo, & millies mille ministrabant ei, ac decies mille myriades ante ipsum stabant: quumque iudicium consedisset, libri aperti sunt. Tunc spectabam maxime propter uocem grandium sermonum, quos cornu loquebatur: & tam diu spectabam, dum bestia sublata est, & corpus eius peremptum, ipsaque proiecta in rogam ignitum. His uerbis Antichristi poena, & quod de hoc sumetur supplicium, describitur. Et primo quidem iudicem Deum cum omni sua maiestate pingit Daniel, ut doceat eum de Antichristo poenas sumpturum esse, cuius potentia noie & autoritate ipse gloriatur. Deinde iudicium iustum et æquum fore dicit, in quo diuina pudentia et iustitia libri aperiendi sint, quibus nulla priuilegia, nullæ bullæ, nulla sigilla aut quæcumque alia sunt huius generis opponi possint. Postremo totam bestiam unam cum cornu isto paruo in ignitum flumen uel rogam, id est, in æternæ dånationis ignem proiectam esse testatur, quemadmodum & dilectus ille Christi Iesu discipulus docet. Apo. 19. et 20. cap. Totus ergo Antichristus, impietatis et abominationis caput, cum membris suis omnibus, id est, cum omnibus istis, quæ doctrinæ ipsius fidem habent, ipsi adherent & seruiunt, in æternam dånationis ignem iuxta prophetarum, Christi & apostolorum uaticinia, coniiciendus est. Nec ignoro grauem & horredam esse illam sententiam: scio



## Homilia

hanc proferre apud multos non exosum modo esse, sed & periculi plenum. Dicendum tamen est quod ante nos ueritatis spiritus dixit, & quod Christus fidelis admonitionis loco esse uoluit. Vltimum ergo hoc & nouissimum, quod Antichristum eiusque membra apprehendet, iudicium diligenter nobis considerandum erit, fratres in Christo dilectissimi, & in hoc duo potissimum notabimus.

Pontificiæ  
religionis  
abominabilis  
cōditio.

Primo quidem quàm dira & abominabilis pestis Papatus simul atque Papa sit, quem uerum & magnum illum Antichristum esse, hæcenus demonstratum est. Multum enim hic errant simplices quidam & alioqui minime mali homines, qui Papisticam fidem & religionem fatentur quidem falsam esse & ueritati contrariam, interim uero eandem non nisi communem aliam quam ignorantiam ac errorem leuem facileque expiandum esse arbitrantur, quem secuti etiam ad salutem pertingere possint. Et hac quidem opinione dementati, Antichristianæ fidei commercium non multum horrent, nec impium uel periculosum esse arbitrantur, si uel ipsi intra huius sordes subinde hæreant, aut etiam ob quæstum denuo ad has reuertantur, uel liberos suos per coniugiorum aliaque eiusdem generis uincula Papisticæ tyrannidis iugo subijciant. Atqui aliud hic longe ab illorum sententia abluens proponunt Christi & prophetarum oracula, qui Antichristum totum, ipsum uidelicet Pontificem cum membris suis omnibus in æternæ damnationis ignem inextinguibilem conijciendum esse unanimiter testantur. Nec id oraculis modo super hac re æditis docemur, sed eiusdem sententiæ rationes infallibiles uerbo Dei & sacrosanctis fidei nostræ articulis continentur. Vtrinque enim discimus dominum nostrum Iesum Christum unicam salutis uiam, unicum ostium & portam esse, per quam in regnum cælorum possimus ingredi. Ad hæc  
Christum



Christum Iesum unicum suæ ecclesiæ caput, unicum & summum sacerdotem, unicum pro peccatis mundi sacrificium, unicum pro humano genere apud Deum patrem intercessorem et aduocatum esse tradunt: sic, ut quotquot illi credere dignantur, æternum uiuant, pereant autem quotquot hunc saluandam rem recipere & agnoscere nolunt. Et horum quidem testimonia in scripturis ubiq; locorum obuia sunt. Christus enim Dominus alta uoce & uerbis disertis, Ego (inquit) sum uia, lux & ueritas. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Ioan. 14. Item Ioan. 10. Amen dico uobis, ego sum ostium ouium. Omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones: sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium: per me si quis introierit, seruaabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Et paulò post: Ego sum pastor ille bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. In eandem sententiam multa alia huius generis recidunt, quæ dicuntur alibi, qualia sunt: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego requiem uobis præstabo. Matth. 11. Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Ioan. 7. Item, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit. Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me, non esuriet unquam: & qui credit in me, non sitiet unquam. Ioan. 6. Eodem referri debent, quæ eiusdem spiritus instinctu ab apostolis dicta & scripta legimus. Petrus certe Acto. 4. coram sacerdotibus de Christo loquens, Hic est (inquit) lapis ille, qui reiectus est à uobis ædificantibus, qui factus est caput anguli, nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum inter homines, in quo oporteat nos salus fieri. Et Paulus apostolus se iudicat non quicquam scire quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum, 1. Cor. 2. Et alibi: Absit ut glòs



## Homilia

rier, nisi in cruce Iesu Christi. Galat. 6. Item: Christus Iesus in mundum uenit, ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. 1. Tim. 2. Et rursus: Nec enim sepius, sed semel oblatus est Christus, ut tolleret peccata multorum. Hebr. 9. Unus est Deus, & unus mediator inter Deum & homines, homo Iesus Christus, 1. Tim. 2. &c. At quid aliud hæc loca testantur omnia, quàm Iesum Christum solum nobis à Deo patre datum esse, in quo salutem percipere possimus, omni nostra in ipsum collocata fiducia, per quam solam nobis ad ipsum accessus pateat. Hinc uero illud quoque consequatur oportet, ut nimirum eos à salute repulsos dicamus, & (ut Baptista inquit) iræ dei obnoxios, qui huic credere dedignantur. Porro, si in Christum Iesum credere uolumus, eum unicum totius mundi saluatore, qualis in scripturis proponitur, agnoscamus oportet. Id uero facies nunquam, nec facere poteris, si Pontificem sequi, & illius fidem atque doctrinam recipere uelis. Quomodo enim Christum unicum ecclesie caput agnosces, si Pontificem quoque eiusdem caput esse dicas? Quomodo item Christum Iesum summum totius mundi sacerdotem uere fateberis, si Pontificem quoque Romanum & uniuersalem & Oecumenicum omnium ecclesiarum antistitem uel sacerdotem agnoscere uelis? Quomodo Christum unicum tuam iustitiam & satisfactionem esse credes, si tuorum operum & meritorum iustitia saluari cupias? Quomodo Christum unicum pro peccatis totius mundi uictimam esse, & eundem in ara crucis immolatum iustitie patris sui satisfecisse credere poteris, si eundem illum quotidie per ebrietatis & libidinis fœda mancipia, sacrificulos nimirum, pro uiuentium & mortuorum peccatis immolari, fateendum erit? Quomodo Christus Iesus unicus mediator & aduocatus omnium hominum abs te credetur, si diuorum intercessionem precibus & assidua illorum

rum



rum inuocatione expetis? Qua fide deniq; Christum unicam salutis uiam & uera beatitudinis ostium agnosces, si tuorum operum meritis, utpote ieiunijs, confessione, missis, passagijs, ad hæc Indulgentiarum & Bullarum praesidio munitus, uel purgatorij flammis excoctus in caelum penetrare contendas? Nonne uides, ut hæc cum ea fide, quæ nos solo Christo inniti docet, ex diametro pugnent? Necessario igitur fateberis, te à fide in Christum non posse non alienissimum esse, si Pontificis doctrinam sequi, & quam ille tradit, fidem amplecti uelis. Quod si uero à fide in Christum alienus fueris, manet utiq; super te ira Dei, quoad filio dei credere non uis. Vnde si semel susceptam à misericordibus in finem usque retinens Pontificiæ fidei & ecclesiæ membrum esse perrexeris, non aliud te manere potest iudicium, quàm ut cum capite tuo, Antichristo, in nouissimo iudicij die in ignem conijciaris inextinguibilem. Nec enim aliud quod hic medium apparet usquam: quin aut per eum saluemur oportet, qui solus salutem in se habet, aut ab illo exclusi, æternum peribimus. Pontificia ergo fides & religio nequaquam leuis quædam ignorantia & error, quem facile excusare possis, putanda est, nec etiam credendum, quenquam hominum, si huic pertinaciter hæreat, saluari posse. Animæ nostræ hic periclitantur, fratres in Christo dilectissimi: illarum causa agitur, & sic quidem, ut æternæ damnationi nostra eas mancipemus pertinacia. Quapropter clemens ille & mansuetus mundi totius doctor, Iesus Christus, ut in omnibus alijs, ita hic cum primis fidei admonitione nos instruit. Apud Matthæum enim, ut falsos hosce prophetas diligenter caueamus præcipit, illos obseruemus & notemus uigilantibus animis, illius nimirum nunquã non memores, quod tanta fide nos monere dignatus est. Adhæc, cum in reuelatione



## Homilia

**Apoca. 18.** sua sacrosancta, quam Ioanni discipulo suo unice dilecto exhibere dignatus est, Antichristianismi (quem Babylonis nomine figurari uoluit) pœnam diram & horrendam exponeret, inter alia non sine magna grauitate sic ait: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, ut nec de plagis eius accipiatis. Exire nos inde iubet Christus fidelis præceptor, ne illius impietatis, idolatriæ & superstitionis reddamur participes: quoniam etiam nisi id faciamus, pœnam nostris imminere ceruicibus minatur. Hæc utinam memori animo perpenderent, qui leui opum iactura territi, aut etiam quæstu uilissimo moti Antichristianæ tyrannidi subesse, quam in Christi & ecclesie ipsius communionem perseuerare malunt: tum illi quoque, qui scientes atque uolentes, non sine præmeditato & maturo consilio, liberos suos Pontificiæ religionis ecclesijs mancipant, ubi ut idola colant compelluntur, fidemque ueram si cognoscant, fateri tamen non audent.

Scio quid hic mihi multi obijciant: Si, inquiunt, omnes eos damnationi subijcis, quotquot Antichristi, id est, Romani Pontificis partes sequuntur, patres quoque & maiores nostri damnati sint oportet. Es hæc quidem communis illa Pontificiorum querela est, quam apud rude et imperitum uulgus magno cum clamore nunquam non inculcantes multorum animos permouent, qui rem indignissimam esse putant, si maiores suos damnationis filios credere ausint. Hinc uero illud colligere student, quod si sub Pontificia religione uiuentes maiores saluati sint, se quoque eiusdem legibus saluari posse. Nos uero modestius de his loqui, nec Dei iudicia altius rimari aut inquirere uolumus. Quid enim scrutari attinet, quo nam iudicio erga maiores nostros usus sit Deus, qui ante ueritatis reuelationem e uita hac migrauerunt? De eiusdem uero gratia & misericordia non



dia non nisi optima quæq; sperabimus: maxime cum illi non im-  
 possibile fuerit, eos qui communi ignorantia decepti errarunt,  
 uel in ultimo uitæ articulo illuminare, ut fide in Christū agni-  
 ta & recepta salutem consecuti sint. Interim illud nobis certò  
 constat, quod si (ut speramus) saluati sunt, non alia ratione aut  
 uia quàm Christi merito, non Pontificiæ superstitionis præsi-  
 dio, saluatos esse. Non ergo est, quod maiorū exemplis uestros  
 errores & superstitionem uelare instituat, ò impudentissimè  
 Romanæ abominationis propugnatores. Nihil enim in his si-  
 mile, nec aliqua inest conuenientia. Veritatis lucem, quæ ho-  
 die clarissima fulget, uidere non potuerunt maiores nostri, ho-  
 mines alioqui nec pertinaces nec palàm impij. Adhæc Chri-  
 stus dominus eos damnatos ac perditos uocat, qui audito euan-  
 gelij uerbo credere, uel oblatum audire dedignantur. Quapro-  
 pter cum maiores nostri euangelij uerbum nec audierint nec  
 etiam potuerint audire, nunquam eos uestro ordini adnumera-  
 re poteritis, qui in ipsum peccatis sanctum spiritum, dum nec  
 oblatam ueritatem audire, nec agnitæ fidem habere uultis.  
 Quod scelus tam apertum tanto uos premit pondere, ut uere  
 & libere ex uerbi diuini autoritate fateri possimus, eos, quot  
 hodie in tanta ueritatis luce Antichristi tyrannidem se-  
 ctantur & defendunt, ac uicissim saluificum euangelij uerbū  
 fidemq; in Christum Iesum impie persequuntur, tandem cum  
 capite suo, Romano Antichristo, æternæ damnationis suppli-  
 cio excrucianos esse: nisi in tempore impietatem abnegare, &  
 uera fide ad Deum animos conuertere discant: quod ut Dei  
 gratia illuminati mature faciant, assidue orandum erit. Et  
 hæc quidem de abominanda, dira & periculosa Antichristi ty-  
 rannide dicta sufficiant.

Secundo loco illud quoq; notandum erit, fratres in Chri-



## Homilia

Antichri-  
stus manet  
usq; ad ad-  
uentum do-  
mini.

sto dilecti, quod Pauli uerba, Antichristū ad ultimū usq; Chri-  
sti iudicis aduentū duraturum, & aliquo modo regnaturū te-  
stantur. Licet enim in multorum animis diuini oris spiritu &  
gladio uerbi iugulatus moriatur, in multis tamē adhuc per do-  
los & imposturas uiuit, quorum uiribus abutens contra Chri-  
sti fideles, pugnas indesmenter excitat. Nunquam ergo, quoad  
in hoc statu mundus permanserit, ab illius potentia in uniuersum  
liberabimur: quin semper suos quoq; seruos & complices  
habiturus est, per quos in nos furere & grassari possit. Vnde  
nobis quoq; indesmenter uigilandum & assidue pugnandum  
erit, ne ab illo uicti succumbamus.

Vidimus iam, fratres, uniuersum Antichristi illius magni  
mysterium. Vidimus Romanum Pontificem solum hoc no-  
mine et titulo dignū, pro Antichristo haberi debere. Vidimus  
quanta huius sit abominatio, & quanto periculo coniuncta  
eiusdem sit religio. Deo igitur gratias agemus pio animo, qui  
tantum hostem nobis reuelare, & illius insidias patefacere dis-  
gnatus est, simulq; orabimus, ut suae gratiae praesidio nos post-  
hac ab omni illius tyrannide tueri uelit. Restat nunc ultima  
& fidelis Christi admonitio, qua quid ultimo hoc Antichri-  
sti tempore nobis faciendum sit, studiose docet. Vbi enim peri-  
cula hinc oritura exposuit, ut eadem caueri debeant admonet  
his uerbis:

Christi pa-  
trapis.

Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est [Chris-  
tus nimirum] nolite exire: ecce in penetralibus aut  
claustris, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab  
Oriente, & apparet usque in Occidentem: ita erit  
aduentus filij hominis. Vbicunq; enim fuerit cada-  
uer, illic congregabuntur & aquilae.

His



His uerbis tria docemur, fratres in Christo dilectissimi,  
 quæ Antichristo regnante nos non modo nouisse, sed etiam se-  
 qui conuenit. Et primo quidem illud ipsum, quod antea quoque Nolite cre-  
dere.  
 dixerat, repetens, ne ijs credamus monet, qui Christum hic uel  
 illic, id est, qui falsum Christum, uel etiam Dei dona, quæ per  
 solum Christum nobis collata sunt, alibi monstrare instituunt.  
 Porro, ut admonitionem hanc probe intelligere simul & sequi  
 possimus, ea in memoriam reuocemus oportet, quæ de uero  
 Christo, unico nimirum mundi huius saluatore, de quibus falsis Chri-  
 stis in prioribus Homilijs dicta sunt. Verus Christus est, quæ  
 sacræ scripturæ autoritas uerum Deum simul & hominem,  
 unicum item mundi saluatorem, unicum sacerdotem, unicum  
 sacrificium pro mundi peccatis, unicum item ecclesiæ caput  
 & hominum intercessorem in cælis esse, describit. Quotquot  
 ergo Christum hunc alibi locorum, quam in cælis monstrant,  
 quotquot alia ecclesiæ capita, alios mundi redemptores, alia  
 pro mundi peccatis sacrificia, alios item aduocatos, interces-  
 sores & mediatores statuunt, hisce Christi uerbis comprehen-  
 duntur, & illi ipsi sunt, quibus fidem habere aut credere ne-  
 phas est. Hoc ipsum uero in Papatu ab ipso Papa ac mem-  
 bris ipsius tam aperte fit, ut nemo id negare queat. Primo  
 enim Christum Dominum, qui pro nobis crucifixus & mor-  
 tuus à mortuis resurrexit & in cælos subuectus est, nequa-  
 quam iuxta apostolici symboli articulos in cælis monstrare  
 solent, sed illum uel pane contineri, uel huic rei sacris adicu-  
 lis latere dicunt, quas etiam istiusmodi inscriptionibus notare  
 non uerentur: HIC DEVM ADORA. Nonne ergo  
 illi ipsi sunt, qui Christum dominum in peneralibus (quem  
 admodum ipse prædixit) uel claustris monstrant? ut interim  
 de hoc nihil dicamus, quod longe alium Christum docere



## Homilia

solent, quam scripturis sacris depingatur. Hæ enim illū nostri causa incarnatum solummodo uerumq; hominem factum esse docent. Hi uero hoc non contenti, impanatum quoq; fingunt, imò talem comminiscuntur, qui indies sacerdotum carminibus ceu Elicius quidam Iuppiter in panem euocetur. Præterea, si de ijs, quæ Christus Dominus suæ mortis merito acquisiuit, sermo instituatur, qualia sunt peccatorum remissio, Dei patris gratia, iustitia, adoptionis ius et æternæ beatitudinis possessio, iam ea quoq; tam aperta impietate & impudentia alibi, quam apud solum Christum monstrare solent, ut si maxime cupiant, negare tamen non possint. Paulus apostolus Christum nobis à Deo sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem factum esse, seq; non aliud nouisse dicit, quam Iesum Christū, & hunc crucifixum. Et alibi doctrinæ suæ certitudinem demonstrans, Etiam si (inquit) nos, aut angelus è cælo prædicauerit uobis euangeliū, præter id, quod prædicauimus uobis, anathema sit. Atqui à Pontificibus emissos & consecratos doctores longe aliud prædicare audimus euangeliū, quam apostoli scriptis suis ad nos transmiserint. Iustitiam enim in hominum operibus ac meritis monstrant. Peccatorum remissionem apud impios & libidinosos, imò omni uitiorum cæno obrutos sacrifices, quærere docent. Dei gratiam & fauorem imaginibus contra Dei præceptum erectis tribuunt, quas etiam eo nomine gratiosas nominare consueuerunt. Quibus si totum illud Pontificiæ religionis chaos coniungas, externis illos, quæcunq; ad salutis negotium pertinent, tribuere uidebis. Et cum unicum nobis patronū & intercessorem monstrant scripturæ, Iesum Christum uidelicet, uerū Deum et hominē, tot illi mediatores, patronos & intercessores præter hunc excogitarunt, quot in cælis beatorū animas esse credunt. Quare uelimus nolimus, eos esse dicendum

1. Cor. 1.  
& 2.

Galat. 1.



dicendum erit, quorum hic mentionem facit redemptor & doctor mundi irrefragabilis.

Quid uero hic nobis faciendum, uiri fratres? Christus, **NOLITE CREDERE**, inquit. En breuem, simplicem & perspicuam Saluatoris nostri præceptionem, quæ præsens est aduersus omnem humani figmenti obiectionem antidotum. Impostores esse putabis, quotquot istiusmodi doctrinam introducere conantur, & proinde illorum uerbis non credes. Supina ergo hic iacet omnis Pontificum, patrum & Conciliorum autoritas, qua illi cum primis nituntur. Si enim illi Pontificem obijcere uelint, quasi nimirum illi fides habenda sit, qui ecclesie caput plus satis ambitioso nomine & titulo dicitur, non est tamen quod eius nos moueat autoritas. Hic enim uerum illud & summum ecclesie caput, supremum item sacerdotem nostrum dicentem audimus, **NOLITE CREDERE**. Nec est, ut Conciliorum Canones & patrum decreta iactitent: contradicit enim illorum autoritati Concilium hoc, quo nullum haberi uel fingi potest sanctius, cuius præses caputq; unigenitus Dei filius & æterna Dei ueritas, coram dilectis suis apostolis de nouissimi sæculi impostoribus differens, ne illis fidem habeamus præcipit. Audiant nunc patrum decreta, expectent Conciliorum Canones, & impudentissimorum hominum figmentis sese subijciant, quibus mendacia ueritate chariora sunt, & qui perire quàm saluari malunt. Quid enim illos moramur amplius? Quid Conciliorum autoritatē expectamus miserè? Num Christi autoritas apud nos fidem mereri non potest, nisi hominum consensu approbata fuerit? Quin Christum potius & ab ipso constitutum doctorem gentium audiamus. Si angelus è cælo prædicarit euangeliū, præter id, quod nos prædicauimus, anathema sit. Et si dixerint uobis, Ecce hic Chris-



## Homilia

stus, aut illic, **NOLITE CREDERE**. Quicumque ergo peccatorum remissionem, iustitiam, Dei gratiam & salutem alibi quam in solo Christo Iesu, illumque ipsum alibi quam in caelis monstrare audent, anathema sint & fidem mereantur nullam, quocumque tandem splendore clari & quantacumque uerborum gratia & autoritate excellant. Quod si uero ea quorundam est contumacia & caecitas, ut his potius quam Christo saluatore, tam fideliter nos admonenti, fidem habere uelint, eos suae permittamus oportet libidini. Sentient olim miseri, & magno quidem suo malo, quem ducem secuti sint.

Nolite  
exire.

**SECUNDO** loco ne exeamus monet Dominus, si uel falsum Christum doceant, uel se alibi, quam in caelis monstrent. Quae licet de corpore quoque eo sensu exponi possint, ut passagiam omnesque salutis & religionis ergo peregrinationes prohibeat Dominus: cum primis tamen ad animam mentemque nostram transferri debent, sic nimirum, ne haec a Christo Domino & Saluatore nostro exiens alibi salutem quaerat, sed ipso certa & inconcussa fide nitatur. Et in his quidem quae ad salutem nostram faciunt, latent omnia. Ut enim in solo Christo Dei patris fauore, peccatorum remissionem & salutem inuenire licet: sic a salute et uita excidat oportet, quotquot a Christo exeunt, ipsique soli firma fide adherere dedignantur. Plurimum ergo refert, fratres in Christo dilecti, ut nouerimus, quo pacto in domino permanere & penes hunc perseverare possimus, maxime cum ipsum dicentem audiamus: Non omnis qui dicit, Domine domine, introibit in regnum caelorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in caelis est. Docent autem haec ipsa uerba, quid illos facere deceat, qui in Christo manere & cum ipso in regnum caelorum ingredi cupiunt. Dei patris caelestis uoluntatem exequamur oportet: quae uero illa sit, ex eiusdem Domini & apostolorum uerbis cognoscere poterimus.

Matth. 7.

Es



Et primo quidē ipse Dominus de uoluntate patris apud Io  
annem differens cap. 6. inquit: *Hæc est uoluntas eius, qui misit* Dei uolun-  
tas, Crede-  
re filio.  
me, ut omnis qui uidet filiū & credit in eū, habeat uitā æternā.  
Dei ergo uoluntas bona & nobis salutaris est, hunc sibi finem  
propositū habens, ut salutem percipiamus æternā: ea tamē con-  
ditione, ut filiū cognoscamus & in eum credamus, quē propter  
nos in mundū mittere dignatus est. Primus ergo uoluntatis dī  
uine articulus uerā, certā, solidā et incōcussam fidem in Chri-  
stum Dominum & Saluatorē nostrum requirit, qua ipsi adhæ-  
rentes in ipso solo quæramus, quæ ad salutē consequendā sunt  
necessaria. Fides uero hæc certā & perfectā Christi cognitio-  
nem postulat, ne scilicet dum fidē iactitamus, nihil præter nu-  
dam aliquā uanāq; opinionē animo nostro gestemus: sed ea dun-  
taxat firma & incōcussa mente credamus, quæ per Christū Do-  
minum æternæ ueritatis uerbo nobis proposita sunt. Talē uero  
hoc nobis Saluatorē describit: **I E S U S C H R I S T U S** ue Ioan. 14.  
Mich. 5.  
rus & naturalis est Dei patris filius, eiusdē cū patre ab æterno  
substantiæ, potētiae, naturæ et maiestatis. Definitis uero tēpori Phil. 2.  
Hebr. 2. 5.  
&c.  
bus propter nos homo factus est, nō quidē deitate posita, sed hu-  
manitate assumpta, sic ut qui ab æterno deus fuerat, nūc in una  
& indiuisa psona uerus Deus simul et homo sit. Et homo quidē Gene. 3.  
factus, oīa quæ hoī (excepto solo peccato) euenire possunt, su-  
stinuit. Vt homo enim natus corpore et uiribus ætatis successu  
creuit et corroboratus est. Itinere fessus quieuit, iamēq; sitimq;  
passus est. Dolore etiā animi correptus lachrymas fudit. Imō Luc. 2.  
Ioan. 4.  
Matth. 9.  
Luc. 19.  
Matth. 26.  
mortē mortisq; dolores horruit, et eosdē tamē ppter nos patien-  
ti et forti pectore subiuit. Priusq; uero mortis suæ tēpus appro-  
pinquaret, nō miraculis modo & signis stupēdis diuinitatē suā  
hoībus uoluit innotescere: sed et patris sui uolūtātē reuelās sa- Matth. 5.  
lutis et beatitudinis doctrinā, certā et absolutā nobis tradidit.



## Homilia

**Matth. 10.** Sed & discipulos delegit, quos ueritatis doctrina et spiritu suo  
& 28.  
**Acto. 1.** instructos ipse cælum cõscendens in omnẽ terrarum orbẽ emit  
**Hebr. 8.** teret. Mortuus uero iustitiæ patris sui satisfaciens morte sua  
9. & c.  
**Gen. 3.** semel semetipsum pro nobis offerens mundi peccata sufficienti  
uictima expiauit. Nam morte sua ueteris serpentis caput con-  
**2. Cor. 15.** culcauit, imperiũ fregit & uires abstulit, tum & resurrectio-  
**Acto. 1.** ne sua gloriosa ipsam mortem deuicit. Tandem in cælos subue-  
**Ephes. 4.** ctus cælorum portas, quas peccatum nobis clauserat, denuo  
patefecit, carnemq̃, quam ex nobis assumpserat, nostræ resur-  
rectionis & salutis arrabonẽ & pignus in cælis esse uoluit. In  
**Hebr. 5. 9.** cælis uero residens unicus & supremus est noster Pontifex,  
**2. Tim. 2.** qui ut corpus suũ pro nostris peccatis uictimã obtulit: ita pro  
**2. Ioan. 2.** nobis coram patre suo cælesti intercedit indefinenter, sic ut no-  
**Hebr. 4.** bis, quantumuis peccato obnoxij, tutus tamẽ ad thronum gra-  
tiæ aditus pateat. Talem (inquã) Christum, talemq̃ saluatore  
scripturæ oracula nobis proponunt, eaq̃ Dei patris uoluntas  
est, ut talem esse firmiter credamus, quæq̃ in illo nobis collata  
**Fides quid.** sunt, nusquam alibi instituamus quærere. Atqui fides, de qua  
nobis sermo est, non nuda quadam uanaq̃ est opinio, quæ in nu-  
dis uerbis & non nisi oris confessione consistat: sed uiua est  
*ἡ πίστις*, quæ Dei spiritu hominum animis insita, omne salutis  
& religionis negotiũ cõplectitur. Vt enim uera fide Iesu Chri-  
sto Dei filio niti possimus, Dei patris quoque cognitione nobis  
opus est. Hunc si uere, qualis est, agnouerimus, eundem timebi-  
mus quoq̃, nec id modo, uerum etiam præ omnibus alijs dilige-  
mus, ac eidem filiali timore & amore obstricti in omnibus obe-  
dire dignabimur. Promanabit ex eiusdem fontis scaturigine,  
quicquid ad externã quoq̃ religionẽ requiri potest. Nec enim  
in hac nostræ rationis figmenta audiemus, sed ad Christi do-  
ctrinã & exemplum unice respiciẽtes ab illa tori pendebimus.

Quem



Quem ubi uiderimus ecclesie suae ita consuluisse, ut illam inu-  
 tili ceremoniarum pompa grauare noluerit, sed paucis conten-  
 tus ea duntaxat quae ad salutem sufficere possunt, comendarie  
 (qualia ferè sunt, Verbi praedicatione, baptismus regenerationis  
 symbolum, & Cæna gratum mortis dominicæ nostræq; redem-  
 ptionis memoraculum) nos quoq; iisdem illis contenti, nihil ultra  
 addendum putabimus, nec scrutabimur quicquid altius, siquidem  
 illi credere, ipsumq; saluatore, regem et sacerdotem fidumq; hu-  
 mani generis doctorem agnoscere uelimus. Quotquot ergo sim-  
 plicem hanc Christi doctrinam uerbiq; Dei oracula sedulo sectan-  
 tur, nec uanis aliorum figmentis sese patiuntur abstrahi, ijs fide-  
 lis hæc Christi admonitio salutaris est & utilis. Quotquot ue-  
 ro fidem & religionem suam hisce terminis includi nolunt, sed cæ-  
 cè indomitum pecus septa transiliunt, de Christo aliter quam scripturis  
 doceatur sentiunt, salutem uitæq; alibi locorum, quam in Christo sal-  
 uatore unico quaerunt, nouis item ceremonijs nouaq; religionis  
 forma ecclesiam grauant, hi huius tam fidei admonitionis im-  
 mores contra Christi præceptum **EXERVNT**, et sese non sine  
 præsentis aeterni periculo seduci patiuntur. Quapropter simul  
 hinc omnibus patere posse arbitror, quibus causis hodie impediti  
 teneamur, ne uel agnitam ueritatem Christumq; dominum deserere,  
 uel in Pontificis partes transire, & illius doctrinae & religioni  
 nos subicere possimus. Obstat enim Christi præceptum, quod  
 transire non nephast modo, sed & nobis cum summo animarum pe-  
 riculo coniunctum est. Nec quenquam hominum tam caecum arbitror,  
 qui non uideat eam Pontificis doctrinam esse, qua suos sectatores  
 ut à Christo unico saluatore exeant, abstrahit. Nec enim de  
 hoc, ut scripturis traditum est, differit. Quae uero per solum Chri-  
 stum humano generi collata sunt, alibi, imò infinitis locis alijs  
 monstrare consuevit. De religione tam interna quam externa longe



## Homilia

aliter, quàm Christus olim, disputat. Ad diuos relegans à crea-  
torè abstrahit. Ceremoniarum chaos et onus Leuitico sacerdo-  
tio longe grauius ecclesiæ inuexit, quo miserè torquentur impe-  
riti uulgi cōscientiæ. Adhæc argento & auro redimere docet,  
quæ gratis per Christū nobis collata sunt, & quæ sola fide de-  
bent percipi. Quid multis? Christū & salutē per hunc partā ijs  
in locis monstrat, in quibus nec Christus nec salus est. Quo aīo  
igitur, et qua cōscientia illum sequi poterimus, qui Christū di-  
sertis uerbis & aperta uoce clamantē audimus, **NOLITE  
EXIRE.** Num ergo terminos fidei & religionis à Christo  
præfixos trāsire audebimus? Absit hæc à nobis tam impia te-  
meritas, fratres. Furiat licet mūdi princeps, furiat huius uica-  
rius uel minister Pontifex, furiant huius cōsilijs excitati princi-  
pes, furiāt Cardinales, Patriarchæ, Episcopi, Præsules, Abba-  
tes, Præpositi, Decani, Suffraganei, Monachi, et totus ille sa-  
crificulorū & sacerdotū utriusq; sexus cœtus, sonent ubiq; imò  
crepent, tonent, fulgurent ac fulminent Concilia, maiorem ta-  
men penes nos autoritatē unici illius dicti esse conuenit, quàm  
ut omnium horum uires, potentiā & conatus formidare, et pro-  
pterea contra Christi præceptum ab ipso exire instituamus.  
**CHRISTVS** enim est rex ille gloriæ, imperator inuictissi-  
mus, & Maiestas illa sacrosancta uerèq; augusta, in cuius con-  
spectu omne genu flecti debet, qui et hostes suos pertinaces fer-  
reo scepro conteret, pedibusq; suis scabellum subiiciet.

Transcramus nunc ad alterū diuinæ uoluntatis caput, quod  
Paulus in 1. ad Thes. epist. 4. cap. in hunc modū exponit: Hæc  
est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatio-  
ne, & sciat unusquisq; uestrum suum uas possidere cum sancti-  
ficatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemad-  
modum & gentes, quæ non nouerunt Deū. Hic mihi paulisper  
aures

Phil. 2.  
Psal. 2. 110.

Voluntas  
Dei, Sancti-  
ficatio no-  
stra.



aures præbete, o Romanistæ & Papistæ impudentissimi. Vos,  
 inquã, qui fidem in Christũ et sacrosanctã euangelicã ueritatis  
 doctrinã hoc noie infamem & exosam reddere studetis, ut quæ  
 bona opera requirat nusquã, quin illa ipsa ceu inutilia & super  
 flua reijciat prohibeatq;. Cum enim omnẽ nostrã redemptionis  
 & salutis gloriã soli Christo uendicamus, uestris aut operibus  
 & meritis nihil tribuimus, mox magno cum impetu proruentes  
 per nos bona opera dãnari omniq; uitiorũ libidini fenestrã ape  
 riri clamitatis. Quã falso aut, quã impie, temere & impu  
 denter id faciatis, nõ ex nobis (quos iam ante exosos habetis) sed  
 ex electo illo Christi saluatoris organo, Paulo apostolo, disci  
 te. Quamuis enim is ubiq; locorũ hoc ferẽ unũ inculcet & ur  
 geat, ut per Christũ Iesum sese saluari sciant hoies, quin etiam  
 disertis uerbis, se nõ quicquã aliud præter Iesum Christũ, eũq;  
 crucifixũ nouisse fateatur, nõ tamen impiã hanc, blasphemã &  
 uere Antichristianã cõclusionem infert, ut bona opera uel inu  
 tilia uel superflua esse dica t, uel hoies suæ carnis libidẽ et affe  
 ctus prauos sequi iubeat: nec eam fidem statuit, quæ peccandi  
 securitatem generet. Sed hæc (inquit) est uoluntas Dei, sancti  
 ficatio uestra. Cum enim Christus Iesus nos sanguine suo ab  
 lutos sanctificarit & spiri tus sui templa fecerit, tales nos esse  
 uult apostolus, qui in sancti ficatione hac perseverantes, pecca  
 torũ sordibus minime inquinemur. Et propterea scortationis 1. Cor. 6.  
 hoc loco cum primis meminit, quod scortator in proprium cor  
 pus peccans sacrosanctũ illud, templum q; maxime prophanat:  
 interim uero scortationis titulo omnẽ immunditiem, qua homo  
 polluitur, uult intelligi. Addit enim: Vt sciat unusquisq; uestrũ  
 suum uas, id est, corpus suum possidere cum sanctificatione  
 & honore, sic nimirum ut Dei nomen in nobis & uita nostra  
 sanctificetur, nec gentibus similes ui uamus, quæ à Dei cogni



## Homilia

tionem sunt alienissimæ. Atqui sanctificatio hæc fidei fructus est, & talis quidē, ut hac fides carere nō possit. Nam si te acerba Christi morte et doloribus immanissimis è peccati tyrānide & dānationis ignibus redemptum esse credideris, & hanc unicā habueris tuæ salutis ac uitæ spem, hanc profecto salutē tuā, quæ tāto redempta est per filiū Dei pretio, nunquā adeo uilem et abiectā æstimabis, ut ob carnalium affectuū breui momento peritura gaudia illā perdere uelis. Adhæc, si Christum Iesum per fidem uere induisti, uestem hanc tam nobilem, oībusq; auri ac gemmarum thesauris pretiosiorē, nequaquā fœdis peccatorū operibus pollues, quin licet humanæ naturæ imbecillitate superatus cecideris, mox tamen resurgens lapsum tuū amarè deflebis: Quapropter arborē quoq; bonā scripturæ fidē esse dicunt, quæ fructus malos ferre nō possit. Nā cum hæc spiritus sancti opus sit, opera quoq; spiritus proferat oportet, dilectionē nimirum geminā, Dei & proximi, spem, consolationem, iustitiā, innocentiam, puritatem, patientiā omnēq; reliquum uirtutū chorum. Discimus ergo hinc fratres, primo eos in uerā fidem & religionē, quæ solo Christo nititur, summe blasphemos esse, quotquot euāgelij doctrinā bonis operibus inimicā esse dicunt: secundo, eos in Christo uere permanere, et ipsi adhærere firmiter, qui nō uerbis modo fidem iactitant, & huius cōfessione nuda gloriantur, sed & uitæ sanctimoniam student, atq; in hoc incumbunt unice, ut suum uas, pretioso ablutum Christi sanguine, purum mundumq; conseruent. Nec enim Christi membrum aut discipulus dici poterit, qui Christianæ puritatis et sanctimoniam oblitus, sese peccati mancipium, imò sathanæ organum, cōstituit.

Latet ergo in hac Christi Saluatoris nostri admonitiōe & consilio uera illa atq; æterna lex, regula item infallibilis, quā ille oībus suis discipulis cōmunem esse uult, et singulari studio  
ut ses



ut secundum hanc uitã & religionem suam instituãt, postulat. Atqui breuis hæc est, simplex & perceptu facilis. Præcipit enim, ne fidem habeamus ijs, qui uel falsum Christũ monstrãt, uel ipsum Christum quæq; illius merito nobis collata sunt, ali bi locorum quærere docent: quin scripturis niti, ab ijsdem nec latum unguem recedere, sed in omnibus quæ uel ad Deũ ipsum uel cultum Dei attinent, ea firma & indubitantĩ fide, charitate item, innocentia & uitæ puritate sequi iubet, quæ sacris literis edocti sumus. Huic regulæ cedant oportet omnes monachorum et monialium constitutiones et Canones, quibus in Patu mire superbiunt. Quicumq; enim iuxta hanc regulam incedunt (ut Paulus inquit) pax super eos, & misericordia, & Gal. 6. super Israelẽm Dei. E contra uero olim se grauiter errauisse sentient, quotquot tam fidi monitoris immemores aliam uitæ fideiq; regulam sibi sectandam proposuerint.

VENIMVS nunc ad tertium & ultimum admonitio- De ultimo  
nis huius caput, quo de ultimo suo aduentu Christus differit, aduentu do  
mini.  
primo quidem docens, quomodo, qua forma, specie & gloria uenturus sit, deinde uero sanctorum & fidelium, quam ultimi iudicij tempore accepturi sunt, conditionẽ exponens. De primo his uerbis pronuntiat: Sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet usq; in Occidẽtem: ita erit aduentus filij hominis. Docemur hic, fratres, Dominum ut fulgur de improviso uenturum, & tunc quidem temporis, quando pacem, securitatem & gaudia sibi quã maxime pollicentur homines. Sic enim Paulus apostolus Christi uerba in priori ad Thessalonicen. exponit, scribens: De temporibus & articulis temporum, fratres, non est opus ut uobis scribam. Ipsi enim plane scitis, quod dies ille Domini ut fur in nocte uenturus sit. Cum enim dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor



## Homilia

partus mulieri prægnati: nec effugient. In hunc uero finē hæc dicuntur & scribuntur, fratres, ut animis totis excitati uigilemus & accingamur, ut ad Domini aduentum ceu frugi serui parati inueniamur.

Deinde ideo quoque fulguris similitudine uititur Dominus, ut aduentus sui speciem uel formam demonstret. Et sic quidem se non humilem, uilem, contemptum & abiectum, qualis olim in carne uixit cum hæc diceret, uenturum monet, sed magna claritatis luce, gloria, potentia & maiestate stipatū, sic ut hæc cunctis quoque hostibus suis formidini & terrori futura sit. Et huc etiam Danielis uerba (superius quidem citata, sæpius tamen repetenda) faciunt, quibus ille nouissimum illud Domini iudicium describit hoc modo: Spectabam donec posita sunt subsellia, et prouectus ætate sedit, cuius uestimentū candidum erat ut nix, & capillus capitis eius ut mūda lana: cuius solium ut flammeæ igneæ, & eius rotæ ignis flagrans. Igneū flumen dimanabat egrediebaturque ab eo, & millies mille ministrabāt ei, ac decies mille myriades ante ipsum stabant etc. Similia his Dominus quoque apud Matthæum dicit 25. cap. Cum uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo: tūc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes etc. Scribuntur autē et hæc, fratres, non ut tyranno similis nos terrere uelit Dominus, sed ut horū memores, uisitam nostram omnem sic instituamus ut in glorioso illo aduentu ipsius coram iusto et tremendo iudicio possimus subsistere. Eum enim iudicem habebimus, qui nec mundi gloria & potentia terreri, nec generis nobilitate flecti, nec munerum opibus moueri potest. Vnicum uero illud, quod respicit & remunerat, est Fides per charitatem operans, Gal. 5.

Fidelium in  
aduentu do-  
mini condi-  
tio.

Alterum, quod ultimo hoc admonitionis suæ capite tractat  
Dominus



Dominus hoc est, quod quæ nam suorum in aduentu hoc & iudicio glorioso conditio futura sit, edocet. Durum enim & horrendum carni uideatur, cum omnia mundi huius, quibus unice delectatur, peritura aliquando & omnes nos coram tanto iudice sistendos esse audit. Sed consolationis plenum est, quod hic Dominus loquitur: Nam ubicunq; (ait) fuerit cadauer, congregabuntur & aquilæ. Et hic quidem fideles aquilis, se uero escæ ad quam illæ conuolent, confert. Vt enim aquilæ sublimi uolatu ad nubes quoque penetrant, solisq; intuitu (cuius radios reliqua animantia ferre non possunt) cum uoluptate fruuntur: Ita fideles quoque fidei alis super omnia mundi huius studia subuecti animos suos in cælos attollunt, ubi illorum est *παρίσταμα*, conuersatio & ius ciuitatis semper permansuræ: & sic quidem mentis suæ oculis Solem iustitiæ, Christum Iesum uidelicet, intuentur, qui iustitia nostra est, & unica illa atq; uiuifica esca fidei. Ipse enim est panis ille uitæ, qui per fidem manducatus nos pascit ad uitam æternam. Atque qui aquilas hæc, fideles nimirum ad se congregandos esse dicit Christus, sic nimirum ut uno quasi momento ad ipsum colligantur, tã qui olim in fide uera obdormierunt, quàm quos adueniēs Dominus accinctos & paratos in fide inuenerit. Sic enim hæc Christi uerba Paulus exponit. 1. Theff. 4. Hoc uobis dicimus in uerbo Domini, quod nos qui uiuemus et reliquæ erimus in aduentu Domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. Quoniam ipse Dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei descendet de cælo: & mortui in Christo resurgēt primū: deinde nos qui uiuemus, qui reliquæ erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, et sic semper cum Domino erimus. Proinde consolemini uos mutuo sermonibus his. Videte aut, fratres dilecti, quã læta, iucunda, & plena cōsolationis sint,

Phil. 3.



## Homilia

quæ de glorioso illo Christi in iudicium aduentu scripturis traduntur. Vbi si Pontificios audire uelimus, ea dicent, quæ non timorem modo atq; terrorem, sed & desperationem hominum animis incutere possint. Signa enim commenti sunt horreda et dira, quorum commemoratione omni consolationis gaudio rudes spoliarunt, & eosdem terruerunt grauissime. At per apostolos loquens Christi Saluatoris spiritus, ita de eodem differit, ut quod nobis in Papatus tenebris agētibus terrori fuerat, nūc gaudio & uoluptati sit, sic ut assiduus uotis & desyderijs ardentibus Dominum expectemus, & illius aduentum appropinquare cupiamus. Quæ enim & quanta erit sanctorum gloria, cum qui mortui in terram & puluerem resoluti fuerant, corporibus clarificatis resurgent, uiuentes uero uno momento transformati omnem corruptionis naturam, & quicquid in ipsis corruptibile ac mortale, infirmū item & doloribus obnoxium fuerat, exuent, moxq; Christo sponso suo coniuncti cū ipso ad æternam ueræ beatitudinis gloriam trāsferentur? Tunc inquam fideles aquilæ suum illum iustitiæ Solem perpetuo intuebuntur, & esca uitæ æternæ cibabuntur, ut esuriant nunquam. E contra uero dirum illud & infelix coruorum atq; uulturum genus, impij nimirum tyranni ac ecclesiæ hostes, qui in hoc mundo contra domini sanctos ferro & igne omniq; crudelitatis genere grassati sunt, omnes item belluini, uētri & peni dediti homines, ad suum quoq; cadauer congregabuntur, ad immanem illam & fœdam bestiam eiusq; caput Antichristum, ut cū ipso constricti conijciantur in stagnum ardens igne & sulphure, tuncq; sentiant, quem secuti sint, quemq; in uita hac agentes oderint. Quoniã uero, cum maior erit de his differēdi opportunitas, copiosius de his differemus, hæc nunc paucis attigisse sufficiat.

Hactenus




Hactenus uero quinque Homilijs omne Antichristiana ty-  
 rannidis mysterium audiuiimus, simulque fidum Christi Salua-  
 toris consilium cognouimus, quod ille nouissimo saeculo sequi  
 iubet. Gratias ergo agemus patri caelesti deuotis et pijs ani-  
 mis, qui tantum periculum nobis reuelare suisque contra hoc con-  
 silijs instruere dignatus est. Studebimus uero, ut admonitioni-  
 bus domini intenti, ita eum sequamur, ne nos frustra monuisse  
 uideri possit. Adhaec cum ex Pauli apostoli uerbis constet, An-  
 tichristum non alio quam spiritus gladio, uerbo Dei nimirum,  
 conficiendum esse, nec alio posse confici, sic animos nostros in-  
 struemus, o fratres, ut magna apud nos sit uerbi autoritas, ut  
 illius studium prouehatur ab omnibus, ut denique ea diligentia  
 hoc legere, audire, et cognoscere studeamus, ut huius uirtute  
 in nostris animis Antichristus confectus occidat, uiuat autem  
 in iisdem Christus Dominus: ne uidelicet in tremendo die iudi-  
 cij cum immani et foeda bestia in damnationis ignem coniecti  
 pereamus, sed ceu uera Christi membra et fideles  
 aquilae aeterno cibo saturi ad escam in-  
 deficientem Solemque iustitiae  
 aeternum congregemur,  
 Amen.



APOCAL. XVIII.

CECIDIT, cecidit Babylon magna, & facta  
est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spi-  
ritus immundi, & custodia omnis uolucris im-  
mundæ & inuisæ. Quia de uino iræ scortationis  
eius biberunt omnes gentes. Et reges terræ cum  
illa scortati sunt: & mercatores terræ de uirtute deli-  
ctiarum eius diuites facti sunt. EXITE DE ILLA  
POPVLVS MEVS, ne participes sitis deli-  
ctorum eius, ne & de plagis eius  
accipiatis, &c.









mf













Th  
1413